

ean. Motus autem harum partium ideo quiescit, quia virtus motiva non cessat diminui et deprimenti (z) in illis partibus que movent se invicem successive, adeo (6) quod in ultima parte non remanet movere, sed solum moveri. » — Hac ille. — Similia dicit, 3. *de Anima*, com. 65. Ex quibus apparet : Primo, quod in talibus corporibus se invicem moventibus, puta partibus aquae, vel lapide, et aqua, primum movens, non moveat effective immediate omnia sequentia; sed primum effective moveat secundum, et secundum effective moveat tertium, et non solum formaliter. Secundo, apparet quomodo tam Philosophus quam Commentator senserunt quod, in motu violentiori, secundum movens habet a primo non solum motum localem, quinimmo virtutem movendi tertium; et hoc idem habet tertium a secundo, et quartum a tertio, donec virtus totaliter sit diminuta in penultimo moto. Tertio, apparet quod movens principale tribuit suo instrumento artificiali duo, scilicet motum localem et virtutem motivam; et consequenter, quomodo tota deductio hujus tertii principialis<sup>4</sup> falso innititur fundamento; et quod distinctio nostra de agente principali et instrumentaliter stat in sui veritate.

Et haec sufficiant ad argumenta Aureoli contra tertiam conclusionem.

#### § 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Dürandi. — Ad argumenta contra quartam conclusionem nunc dicendum est. Et quidem

Ad primum Durandi contra eandem conclusionem (7), respondet beatus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 4, q<sup>ta</sup> 2, in solutione quarti. Arguit enim sic : « Omne quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis; et inde est quod virtus spiritualis non potest esse in re corporali. Sed haec virtus, que ordinatur ad gratiam inducendam, est maxime spiritualis. Ergo non potest esse in rebus corporalibus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum est, inquit, quod in re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum. Potest tamen ibi esse per modum intentionis : sicut in instrumentis motis ab artifice, est virtus artis; et *sermo audibilis vocans causa discipline*, ut dicitur, *de Sensu et Sensato* (cap. 1), continet intentiones animae quodammodo; et etiam in motu est virtus substantiae separate moventis, secundum philosophos; et semen agit in virtute anime, ut dicitur in 2. *de Generat. animal.* (8) (cap. 1 et 3). » — Hac ille. — Item, ibidem, in

solutione quartae questionis, sic dicit : « Sicut se habet agens ad virtutem activam, ita se habet ad continentiam formam effectus. Et qui agens instrumentale non habet virtutem agendi ut aliquid ens completum, sed per modum intentionis, ideo et forma introducta continentur in eo per modum intentionis, sicut sunt species colorum in aere, a quibus aer non denominatur coloratus. Et hoc modo gratia est in sacramentis, sicut in instrumento, non complete, quantum ad quatuor. Primo, quia in instrumento non est forma effectus secundum completam rationem speciei, sicut est in effectu jam completo, et in causa univoca. Secundo, quia est in eo per modum intentionis, et non secundum esse completum in natura, sicut forma effectus est in causa principali non univoca secundum perfectum esse in natura. Tertio, quia non est in eo per modum intentionis quiescentis, sicut sunt intentiones rerum in anima, sed per modum intentionis fluentis duplice fluxu : quorum unus est de potentia in actum (sicut etiam in mobili est forma, quae est terminus motus, dum moverit, ut fluens de potentia in actu), et inter haec cadit medium motus, cuius virtute instrumentum agit; alius de agente in patiens, inter quae cadit medium instrumentum, prout unum est movens, et alterum est motum. Quarto, quia sacramentum etiam instrumentaliter non attingit directe ad gratiam ipsam. » — Hac ille. — Simile dicit, 3 p., q. 62, art. 4, in solutione priuoi : « Virtus, inquit, spiritualis non potest esse in re corpora per modum virtutis permanentis et completae. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem instrumentalē, inquantum scilicet corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spirituale inducendum; sicut et in ipsa voce sensibili est quedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, inquantum procedit a conceptione mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in sacramentis, inquantum ordinantur a Deo ad aliquem effectum spiritualem. » — Hac ille. — Item, *de Veritate*, q. 27, art. 4, in solutione quarti, sic dicit : « Sacraenta non operantur ad gratiam per virtutem proprię formę; sic enim operarentur ut per se agentia; sed operantur per virtutem principalis agentis, scilicet Dei, in eis existentem. Quae quidem virtus non habet esse completum in natura, sed est quid incompletum in genere entis. Quod patet ex hoc quod instrumentum moverit inquantum moverit; motus autem est actus imperfectus, secundum Philosophum (3. *Physicorum*, 1. c. 45); unde, sicut illa que mouent (z) inquantum sunt jam quasi in termino motus assimilata agenti, mouent per formam perfectam, ita illa que mouent prout sunt in ipso moveri, mouent per virtutem incompletam. Et hujusmodi virtus est in aere ad

(z) et deprimenti. — *de primis* Pr.

(6) adeo. — ideo Pr.

(7) dicendum. — Ad. Pr.

(8) 2. *de Generat. animal.* — 11. *de Animalibus* Pr.

(x) mouent. — mouentur Pr.

movendum visum, secundum quod immutatur a colore parietis ut in fieri, non ut in facto esse; unde species coloris est in aere per modum intentionis, et non per modum entis completi, sicut est (z) in pariete. Similiter sacramenta operantur ad gratiam, prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum. Qui quidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem, et applicationem ad eum qui accedit ad sacramenta. Unde habent virtutem non per modum entis completi, sed quasi incompleti. Et sic non est inconveniens quod virtus spiritualis sit in re corporali et materiali, sicut species colorum sunt spiritualiter in aere, » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione quinti, sic dicit : « *Virtus illa neque potest dici corporea, neque incorporea, proprie loquendo; corpoream enim et incorpoream sunt differentiae entis completi.* Sed proprie dicitur virtus ad incorporeum, sicut etiam motus magis dicitur ad ens quam ens, etc. » — Haec ille. — EX quibus appareat quod in re corporea et materiali potest esse virtus spiritualis, per modum intentionis fluentis, et quod virtus qua est in sacramentis, habet suiusmodi esse fluens et intentionale. Et sic non obstante quod sit spiritualis formaliter et per essentiam, non solum ratione effectus spiritualis ad quem ordinatur, tamen potest informare subjectum materiale et corporale.

Dicitur secundo, quod responsionem quam arguit recitat, non habemus necessario sustinere, puta quod illa virtus sit quedam qualitas formaliter et per essentiam extensa et corporalis, nec dicatur spiritualis nisi solum ratione sui effectus spiritualis, quem instrumentaliter causat in anima; quia, sicut apparer ex predictis, sanctus Thomas ponit eam esse mere spirituale tam per essentiam, quam per efficientiam. Verumtamen predictam solutionem Petrus de Palude probabiliter sustinet, dicens (4. *Sentent.*, dist. 1, q. 4) : « *Secundum veritatem, illa virtus est qualitas corporalis, essentialiter et formaliter, non nata esse in spiritu subjective (6).* Tamen ratio non cogit: quia non sequitur. *Est forma in corpore, igitur est corporalis;* quia anima rationalis est actus corporis, et tamen est non solum spiritualis, sed spiritus per essentiam et per efficientiam, quia habet operationes et habitus spirituales. Si dicatur quod hoc est quia ipsa est forma substantialis, quae trahit ad se materiam, et non trahitur a materia, et natura procedit esse corporalem; — dicendum quod dona, et virtutes morales infuse, immo etiam acquisite, videntur esse spirituales effective, licet sint corporales subjective, quia faciunt obedire rationi, que est spiritualis. Et cum dicatur quod virtus spiritualis non potest esse in corpore in esse fluenti, quia nihil est subjectum rubedinis in

transitu, sicut rubescunt verecundati, nisi quod est ejus subjectum in esse permanenti; — si, inquam, sic dicatur, non cogit: quia non est intentio dicere quod sit una virtus spiritualis, que possit permanere ad horam et non diu in corpore; sed, sicut forma sciamni est in dolabra in fluxu, non formaliter, sed virtute, et in fluxu non nisi quādūt moyetur, sic etiam character, qui manet in anima, est etiam in sacramento virtute solum, quādūt sacramentum est in usu, id est, in conjunctione materie ad formam a ministrante applicatio suscipienti. Similiter, cum dicitur quod, sicut in spiritu non est corporalis virtus subjective, nec esse potest, sic nec e converso spiritualis in corpore; — dicendum quod, sicut virtus corporalis formaliter non potest esse in spiritu subjective, sic nec virtus spiritualis formaliter potest esse in corpore subjective, nisi ut dictum est. Sed, sicut virtus spiritualis potest agere corporale (z), et in corpore, sic, e converso, virtus corporea potest agere (6) spirituale, et in spiritum. Sed in hoc est differentia: quia illa in propria virtute, quia hoc est infra, et non supra suam speciem; huc autem in aliena. Item, cum dicatur quod illa virtus non potest esse corporalis, quia agit in spiritu; — dicendum quod falsum est; immo virtus existens in corpore potest agere in spiritum, et aliquid spirituale, sicut phantasma in intellectum possibilem: quia ab agente universalis et indeterminato in passum indeterminatum non sequitur actio determinata, nisi concurrente agente particulari et determinato; unde, cum intellectus agens sit potens omnia facere quāe possibilis est potens fieri, immo phantasma determinatum concurrat agēndo (quia non potest concurrere patiendo), nunquam sequeretur determinata intellectio. Item, sicut phantasma est motus factus a sensu secundum actum, sic videtur intellectio esse mutatio facta aphantasmate secundum actum. Et sic falsum est quod assumitur: cum etiam ignis inferni agat in spiritum; et cōclūm in virtute Dei producat animam sensitivam, quam Gregorius vocat *spiritum, qui corpore tegitur, et cum corpore moritur;* et cum calor aliquid possit in virtute anime, quod non potest in virtute ignis vel alienus inferioris, puta generare carnem; ideo quod aliquod corpus nihil possit plus in virtute Dei quam quod posset in virtute sua, vel alterius corporis aut creature, non videtur probabile. Sed utrum sit realis virtus, et qualis? Posset imaginari quidem quod virtus sacramentalis supra virtutem naturae non est aliqua una res: sicut nec virtus in phantasmate, per quam dicatur movere intellectum possibilem in virtute intellectus agentis, est aliqua res addita propriæ nature; sicut etiam virtus in celo, per quam gene-

(z) est. — sunt Pr.  
(6) subjective. — univocē Pr.

(x) corporale. — in corpore Pr.  
(6) potest agere. — in Pr.

rat vivum. Virtutē Dei, non est aliud a sua forma naturali. Igitur sicut Deus, secundum cursum naturae; aliquibus corporibus ab origine prestitit ut in virtute sua aliquid faciant, quod in virtute propria non possunt; sic non est inconveniens quod, in cursu gratie supernaturale aliquibus rebus in casu hoc faciat. Quod enim calor calefaciat, hoc non habet nisi a divina voluntate; unde, quando Deus voluit, calor non combussit tres pueros in camino ignis. Si ergo Deus vellet, frigus calefaceret. Quamvis enim ad actionem principalis agentis oportet in agente esse proprium principium formam absolutam, non tamen ad actionem instrumenti oportet in ea esse illam formam per quam producitur forma ad quam pertinet ut instrumentum; et sicut de creatura fit quidquid Deus vult passive, sic quidquid vult fit a creatura active, dum tamen non excedat limites creature. Sed istud non videtur: quia nihil agit nisi secundum quod est in actu; unde, sicut Deus non potest facere aliquid esse de novo in actu nisi per novam formam, sic nec potest facere aliquod realiter agere quod prius non poterat, nisi per novam formam. Nec est simile de instrumento coniuncto secundum esse, sicut est phantasma; quod est idem subiecto, vel saltem supposito, cum intellectu agente, et de sacramento, quod non est coniunctum Deo secundum esse. Item, nec est simile de forma coeli, que a principio habuit illam formam que est illa virtus, et de sacramento, quod de novo incipit habere illam virtutem, non utique per nihil. Nec est simile de potentia passiva que ab altero transmutatur, et de activa que ex se transmutat. Unde non ita facit creatura quidquid vult Deus eam facere sine virtute addita, sicut sit ex creatura quod Deus vult ex ipsa et in ea fieri sine additione aliquius precedentis. (x) illam actionem. Item, quando sacramentum applicatur, ille motus non est formaliter illa virtus quae causat: quia, cum sit idem motus in ludente sicut in baptizante, esset eadem virtus in utroque; et quod non idem ficeret, Deus impediret; sicut eadem virtus ignis fuit in camino ardorem; quod est absurdum. Unde nihil habet realiter virtutem ad aliquid agendum ad quod prius non habebat, nisi capiat formam realem de novo, quoniam prius non habebat; quae est illa virtus per essentiam; vel nisi per essentiam ipsa forma fiat perfectior quam prius, per intensiōnem suip̄sius, sicut forma interior aliquid potest, quod non potest remissa; quod non habet locum in sacramento. Unde illa virtus non est ipsa motio sacramenti, prout sit a Deo, sed aliquid aliud. Et magis credo quod est alia aliqua (y) forma: quia, si calor per essentiam est potentia calefactiva, quidquid habet calorem, habet virtutem calefactivam; unde, cum

in ludente sit idem motus specie qui in non ludente, uterque a Deo essentialiter effectus, ita esset ibi virtus sicut hic; quod non videtur. » — Hæc Petrus, in forma. — Ex quibus apparet: primo, quod virtus corporalis formaliter, et per essentiam, et subjective, potest agere aliquem effectum spirituale, et in passum spirituale, potissime instrumentaliter, quando agens principale est spirituale, vel spiritus; secundo, quod deductio Aureoli (4. Sentent., dist. 1, q. 1, art. 2) (z), qua asserit exteriorem ablutionem, vel unctionem sacramentalem, esse totam dispositiōnem ad gratiam quam conferit sacramentum baptismi, vel confirmationis, et sic de aliis sacramentis, est vana. Verumtamen, quamquam predicta responsio sit multum probabilis, et multa vera ad nostræ positionis declaratiōnem contineat, teneo sicut prius, scilicet quod virtus que est in sacramentis instrumentaliter ad gratiam dispositiva, et characteris vel ornatus causativa, non est virtus corporeæ vel extensa, sed mere spiritualis, sicut ponit sanctus Thomas (4. Sentent., dist. 1, q. 1, art. 4, q<sup>ta</sup> 2, ad 4<sup>um</sup>; 3 p., q. 62, art. 4, ad 1<sup>um</sup>; de Veritate, q. 27, art. 4, ad 4<sup>um</sup> et 5<sup>um</sup>), et ut prius recitatum est (e).

Ad secundum principale Durandi, respondet sanctus Thomas, 4. Sentent., dist. 1, q. 1, art. 4, q<sup>ta</sup> 2, in solutione quinti, ubi sic dicit: « Sicut virtus absoluta non est complete in quolibet congregatorum ad unam actionem quam nullus per se perficeret potest, sicut est de tractu navis, sed est in omnibus simul, inquantum omnes sunt loco unius agentis, et sic virtus in eis existens suam refinat unitatem; ita etiam est de instrumentis, quando unum non sufficit. Et sic etiam est in multis aliis quae ad sacramentum exiguntur: quia in omnibus est illa virtus simul acceptis complete, in singulis autem incomplete. » — Hæc ille. — Item, dist. 8, q. 2, art. 3, in solutione noni, sic dicit: « Quando aliquod opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est complete in uno, sed incomplete in utroque; sicut manu et pena scribitur. Et similiter contingit in proposito: quia virtus instrumentalis ad faciendum predictam conversionem non est tantum in verbo vel (y) in sacerdote, sed (z) in utroque complete; quia nec sacerdos sine verbo, nec verbum sine sacerdote confidere potest. Et quia sacerdos est similius principali agenti quam verbum, quia gerit ejus figuram, ideo, simpliciter loquendo, sua virtus instrumentalis est major et dignior; unde etiam permanet, et ad multos hujusmodi effectus se habet; virtus autem verbi transit, et ad semel tantum est. Sed secundum quid est potior virtus verbi, inquantum efficitur propinquior, quasi signum ipsius; sicut etiam penna est

(x) Cfr. art. præc., § 3, III, arg. 2.

(y) vel. — sed. Pr.

(z) sed. — Om. Pr.

scripturę propinquior, sed manus scribenti. » — Haec ille. — Simile dicit, 3 p., q. 62, art. 4, in solutione quarti : « Sicut, inquit, eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum; ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in rebus et verbis, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum. » — Haec ille. — Similia ponit, *de Veritate*, q. 27, art. 4, in solutione decimi.

Hanc solutionem explicat Petrus de Palude (dist. 1, q. 4) dicens : « Potest dici quod est eadem virtus ( $\alpha$ ) specie in rebus et in ministro et in verbis. Quia, licet proprium accidens habeat unam propriam potentiam receptivam, tamen accidens non proprium non oportet non solum habere remotam ( $\delta$ ) (sicut eadem albedo specie est in cygno et nive), nec etiam immediatam ( $\gamma$ ), cum lux sit in cœlo et in aere; et non sit eadem diaphaneitas specie hic et ibi. Saltem de accidente supernaturali certum est hoc. Quia non est ejusdem speciei anima et suæ potentiae cum substantia angeli et suis potentiis, per eamdem rationem : quia, si sunt idem quod essentia, certum est quod essentiae differunt specie; si vero differunt, tunc differunt propria susceptiva, et consequenter proprietates naturales. Et tamen constat quod virtutes infuse viae et patriae non differunt specie in hominibus et angelis, alias non possent aequari homines angelis. Unde, cum virtus quæ est in sacramentis sit supernaturalis, nihil prohibet ipsam esse ejusdem rationis, et in diversis concurrentibus ad sacramentum, quamvis differant specie vel genere. — Similiter potest dici quod sunt diversarum rationum. Nec obstat quod habent unum effectum : quia, sicut convenient quatuor elementa ad unum mixtum, et qualitates primæ ad medias; sic multa et diversa instrumenta concurrunt ad unum effectum, sicut hic. Una enim constellatio, quæ producit unum effectum, est ex concurso diversarum virtutum, et in eodem genere cause. — Tamen potest dici quod non est virtus in ministro, nisi in quantum adhibet res virtutem habentes; nisi in solo Christo, qui sine rebus hoc poterat; et ideo in eo erat eadem virtus quæ in rebus, et major. Tamen virtus est in ministro quem ( $\delta$ ) specialiter sacramentum requirit, quæ est alterius rationis : sicut character sacerdotalis in unctione, pœnitentia et Eucharistia, et episcopalis in confirmatione et ordine; licet ista causa mediate ( $\epsilon$ ) agat. — Est ergo virtus non in omnibus quæ sunt de essentia sacramenti. Quia, in baptismō, non est virtus in ministro plus quam in homine adhibente ignem ad com-

burendū domum; nec est in suscipiente, qui per naturam est susceptivus; sed est in verbis et in aqua. In confirmatione autem, est virtus in ministro, scilicet character episcopalis, et in verbis et in materia (et similiter in ordine); in suscipiente autem est potentia passiva, character baptismalis. In pœnitentia, tota virtus est in ministro et in verbis absolutionis; potentia receptiva, ut prius, est character baptismalis, non confessio, quia esse desinit quando incipit absolutio. (Potest tamen dici in satisfactione, prout est a sacerdote injuncta, esse virtutem; sed hoc non videtur, quia una pars satisfactionis est eleemosyna, quæ consistit in agendo in aliud, non in recipiendo.) In extrema unctione, similiter in ministro, verbis et unctione et oleo est virtus ( $\alpha$ ); potentia receptiva, character baptismalis. In matrimonio autem est una ( $\delta$ ) potentia receptiva, etiam ( $\gamma$ ) in non baptizato, si est verum sacramentum; (sed tamen forte, licet sit verum matrimonium, sine charactere baptismali non est verum sacramentum, cum baptismus sit janua sacramentorum); sed virtus est in forma, quæ fit per verba, vel aliqua signa, ita quod, cum hoc sacramentum consistat in suscipiendo, non in agendo, verba viri causant in muliere illam dispositionem et e converso. In Eucharistia vero est virtus in verbis et materia et ministro, ad conversionem; sed virtus immediate dispositiva ad gratiam, est in solis speciebus, post consecrationem. Unde virtus sacramentalis quandoque est in sola forma, sicut in matrimonio; quandoque in sola materia, sicut, post consecrationem, remanet in speciebus virtus disponens ad gratiam suscipientem; quandoque est in sola forma et ministro, sicut in pœnitentia; quandoque in forma et materia et ministro, sicut in aliis; nisi quando ex commissione Papæ alius confirmat, vel ordinat; tunc enim commissio Papæ non potest realem virtutem in commissario causare. » — Haec Petrus, in forma. — Ex quibus patet solutio ad argumentum in parte.

Cum autem dicit arguens quod illæ diversæ virtutes essent incomplete, etc., — patet, ex supradictis, quod ubi agens principale agit per unicum instrumentum, tunc virtus instrumentalis completa et totalis potest esse in illo instrumento simplex, et non composita ex partibus diversarum rationum. Sed ubi concurrunt diversa instrumenta, oportet totalem virtutem componi ex partibus diversarum rationum et ex multis virtutibus incompletis. Sic autem est in sacramentis. Ideo argumentum non valet.

Ad tertium principale ( $\delta$ ) patuit superius, in solutionibus argumentorum Scoti et Aureoli contra conclusionem tertiam, quid dicendum. Conceditur

( $\alpha$ ) in. — Ad. Pr.

( $\delta$ ) habere remotam. — remotum Pr.

( $\gamma$ ) immediatam. — immediatum Pr.

( $\delta$ ) quem. — quam Pr.

( $\epsilon$ ) mediate. — mediante Pr.

( $\alpha$ ) virtus. — Om. Pr.

( $\delta$ ) est una. — non est Pr.

( $\gamma$ ) etiam. — Om. Pr.

( $\delta$ ) contra conclusionem tertiam. — Ad. Pr.

enim quod virtus formæ verbalis, est in ultima syllaba, in ordine tamen ad præcedentes; quia tunc compleetur significatio orationis, et non prius. — Nec valet quod adducitur de ultima gutta aquæ, etc. Dicitur enim quod sola illa aqua baptismalis habet virtutem sacramentalem, que tangit corpus baptizati, in ultimo instanti prolationis verborum: quia forma non prius agit quam materia, nec econtra; sed forma et materia simul agunt, et non unum sine alio; ideo oportet quod simul proferantur verba et corpus abluitur. — De prædictis sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 27, art. 4, in solutione decimi, sic dicit: « Quedam sacramenta sunt, in quibus requiritur materia sanctificata, sicut in extrema unctione et confirmatione; quedam vero sunt, in quibus non requiritur de necessitate sacramenti. In omnibus ergo verum est quod virtus sacramenti non consistit in materia tantum, sed in materia et forma simul, que duo sunt unum sacramentum. Unde, quantumcumque applicetur materia sacramenti ad hominem, sine debita forma verborum et aliis que ad hoc requiruntur, non sequitur sacramenti effectus. Sed in sacramentis que indigent materia sanctificata, manet virtus sacramenti in materia post usum sacramenti partialiter, licet non complete. In sacramentis vero que non indigent materia sanctificata, nihil remanet post sacramenti usum. Unde aqua in qua celebratus est baptismus, nihil plus habet quam alia aqua, nisi forte propter permixtione chrismatis, quod tamen non est de necessitate sacramenti. Nec hoc est inconveniens ut virtus illa statim cesset: quia virtus illa se habet ut in fieri existens, et in moveri; et hujusmodi cessant, cessante motione moventis; statim enim quando movens cessat mouere, et mobile cessat moveri. » — Hæc ille.

Ad quartum principale dicitur quod major universaliter intellecta, falsa est. Non enim oportet instrumentum agere naturaliter aliquam actionem, et virtute propria, circa quacumque materiam circa quam agit supernaturaliter et in virtute alterius; sufficit enim quod agat suam naturalem actionem circa idem suppositum. Et sic est in proposito. Aqua enim agit circa hominem naturaliter, et supernaturaliter, et in virtute propria, et in virtute Dei; non tamen oportet quod in virtute propria agat circa illam partem hominis circa quam agit in virtute Dei, scilicet circa animam. Hanc solutionem dat sanctus Thomas, *de Veritate*, ubi supra (q. 27, art. 4), in solutione undecimi, quod est tale: « Agens præstantius est paciente; unde Augustinus probat, 12. *Super Gen. ad litteram* (cap. 16), quod corpus non imprimit in animam similitudines quibus cognoscit. Sed magis est remotum ut corpus non conjunctum animæ causet in anima formam gratiæ supernaturalem, quam quod corpus conjunctum vel unitum causet in ea effectum naturalem.

Ergo nullo modo videtur possibile quod hujusmodi corporalia elementa, que sunt in sacramentis, sint causa gratiæ. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis corporale elementum sit ignobilis anima, et, propter hoc, non possit (<sup>a</sup>) aliquid efficere in anima virtute proprie naturæ; potest tamen aliquid efficere in anima, prout est instrumentum agens virtute divina. » — Hæc ille. — Item, decimo septimo, arguit sic: « In omni instrumento requiritur sua naturalis actio, que aliquid conserat ad effectum intentum a principali agente. Sed materialis elementi naturalis actio nihil facere videtur ad effectum gratiæ, quem Deus in anima efficere intendit: ablution enim non magis de prope respicit animam, quam ipsa aqua in baptismate. Ergo hujusmodi sacramenta non operantur ad gratiam per modum instrumenti. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod actio naturalis materialis instrumenti adjuvat ad effectum sacramenti, inquantum per eam sacramentum applicatur suscipienti, et inquantum sacramenti significatio per actionem prædictam compleatur; sicut significatio baptismi per ablutionem. » — Hæc ille. — Ex quo patet falsitas majoris argumenti principalis. Non enim oportet omne instrumentum sua naturali actione attingere omne illud quod attingit in virtute agentis principalis; sed sufficit quod attingat idem suppositum illa duplice actione, sive secundum eamdem partem, sive secundum aliam et aliam.

De responsione vero quam arguens recitat, non est curandum. Nec oportet illam necessario sustinere, licet Petrus de Palude eamdem videatur ponere. Ait enim sic (dist. 1, q. 1): « Corpus quod exterius attingit compositum, agit, eo mediante, etiam in partem separatam, actionem quam sequitur passio que est salus et perfectio; quia intellectus intelligit corpus per contactum sensatum, et voluntas inde gaudet aut dolet. Sed actionem cuius passio sit que magis facta abhicit a substantia, non: tum quia anima illius capax non est; tum quia anima unitur corpori propter sui perfectionem; et non propter sui corruptionem. Et similiter, sacramentum per corpus quod attingit, agit in intellectum, characterem, qui est salus et perfectio, et non aliquid aliud. » — Hæc Petrus. — Nec militat contra eum replica Durandi. Nam Petrus negaret minorem illius, scilicet quod anima, ut est susceptiva characteris, non communicat composito vel corpori in aliqua conditione pertinente ad compositum, etc. Hoc enim falsum est: quia tam species quam corpus communicant in ista conditione que est possedit, passione que est salus et perfectio, sicut patet de intellectione et sensatione. Item, responsio Petri non dicit quod universaliter quidquid agit in com-

(a) possit. — posset Pr.

positum, agat in quamlibet partem compositi; sed quod illud quod agit in corpus, potest, mediante corpore, in animam, et in ejus potentias, quantumcumque abjectas, actione perfectiva, nihil abjiciente. Item, predictam solutionem confirmat Petrus (ibid.), insinuando rationem Durandi (2), probando scilicet quod corpus possit agere in animam, ut instrumentum Dei. Et hoc sic: « Non minus potest corpus ut instrumentum divinae misericordiae, quam ut instrumentum divinae justitiae. Sed ignis purgatorii, vel inferni, propter hoc habet vim affligendi spiritum. Ergo sacramentum justificandi. Nec valet solutio distinguens de actione immissiva et detentiva, quod scilicet corpus potest agere in spiritum delinendo, non autem immittendo. Quia, sicut supra naturam corporis est aliquid immittere in spiritum, sic spiritum detinere; et plus: quia, in immittendo, corpus praevalit spiritui creato (quia omne corpus habet aliquam virtutem immissivam alicujus formae realis, spiritus autem nullam); sed in movendo localiter, vel detinendo in loco, spiritus praevalit corpori, quod sibi obedit ad nutum in motu et quiete; nec est contra naturam spiritus recipere, sicut detineri invitum in loco. Si igitur corpus, in quantum est instrumentum divinae justitiae, potest spiritum detinere in loco, multo magis, in quantum est instrumentum divinae misericordiae, potest in spiritum immittere. Item, potest dici quod si corpus separatum nihil immittit in spiritum, nihilominus corpus conjunctum secundum esse immittere potest. Sicut e converso, spiritus separatus non immittit formam, nec immediate movet ad formam (dico spiritus creatus); ad nullam enim volitionem angeli sequitur immediate calefactio, vel affectio, aut passio quaecumque in corpore humano, sine motu locali; spiritus autem conjunctus corpori immittit formam, quia ad solam volitionem animae conjunctae, sine omni motu locali, sequitur affectio, passio, alteratio in appetitu sensitivo. Ergo similiter e converso; maxime quia totus homo, qui est praestantior qualibet sui parte, movet unam per aliam. Et sic movens principale, est nobilis moto. Non oportet autem de instrumentalis: sicut animal per potentiam generativam generat potentiam sensitivam, que est nobilior. Si autem dicatur quod potentia activa, secundum quod huiusmodi, est nobilior passiva; — dicendum quod hoc est bene verum, licet non simpliciter semper. Quia sensus exterior, secundum quod habet actu speciem, quam interior habet tantum in potentia, est nobilior, et sic movet illum. Et similiter, potentia calefactiva, respectu tactus, est activa; et tamen est ignorabilis simpliciter, sed nobilior secundum quid, quia habet virtute illud quod habet tactus in potentia. Et tunc

dicam quod corpus movetur a sacramento secundum qualitatem corporalem quam habet in potentia; et sensibile, in virtute naturali intellectus agentis, movet intellectum ad speciem; in virtute autem supernaturali sacramentali, movet ad characterem vel ornatum; intellectus autem agens est nobilior omni potentia animae, secundum communem opinionem. Item, cum unus spiritus agit in alium, saltem illuminando, potest communicari corpori supernaturaliter quod agat in spiritum, ut (2) videtur, ita quod afflictio et dolor, qui positive est in damnatis, sit effective, licet instrumentaliter et supernaturaliter, ab igne. Item, cum ignis sit natus causare dolorem in spiritu coniuncto, licet mediante corpore, potest ei Deus conferre. ut sine tali medio agat: quia in virtute Dei non minus potest quam poterat in virtute intellectus agentis; et sic, in virtute Dei, potest sine corpore medio, quod de se non poterat sine illo. Et sic in inferno est immissio, et non solum detentio. » — Haec Petrus. — Ex quibus patet quod utraque premissarum quarti principialis Durandi potest rationabiliter negari. Verumtamen in dicta solutione sunt aliqua dubia, puta quod anima per suam volitionem possit immediate alterare corpus sibi coniunctum, non precedente nec mediante motu locali cordis. Et quedam alia continet dubia, et contra opinionem sancti Thomae.

Ad quintum principale dicitur primo, quod falsum assumit in hoc quod dicit de instrumento localiter moto. Quia, sicut ostensum fuit superius (6), ex dictis Philosophi, 8. *Physicorum* (t. c. 82), et sui Commentatoris, movens localiter violente, non solum causat in mobili motum localem, immo etiam virtutem motivam, sicut patet in motu projectorum, et in motu partium aquae post projectionem lapidis in eam: quia, sicut dicunt tam Philosophus quam Commentator, in talibus, aliquid, postquam cessavit movere, adhuc movet, et habet virtutem movendi. Igitur, secundum eorum intentionem, aliud est virtus motiva quam motus localis, cum unum ipsorum desinat esse, alio remanente.

Quod etiam in talibus instrumentis recipiatur non solum motus localis, verum etiam forma artificiata, et virtus artificis, aliquo modo, testantur philosophi. Unde Albertus in suo primo libro de *Intellectu et intelligibili*, tractatu primo, cap. 4, sic dicit: « Forma artis, que est in mente artificis, hanc exequitur manus; et cadit in instrumentum; et hanc suscepit ferrum. Que proportionaliter in omnibus illis est eadem. Sed tamen est magis determinata ad materiam in manu quam in mente, et iterum in mallo quam in manu. Maxime autem in ferro est determinata, eo quod ferrum materia-

(a) scilicet. — Ad. Pr.

(6) ut instrumentum divinae. — Om. Pr.

(a) ut. — nec Pr.

(6) Cfr. § prie., III, ad tertium Aureoli.

liter (a) suscipit eam. » — Hæc ille. — Item, in 11. *Metaphysicæ*, tract. 2, cap. 33, similia dicit; et in multis aliis locis.

Cum autem dicit arguens, quod per motum localem nulla forma acquiritur mobili, — dicitur quod hoc est falsum: quia per talem motum acquiritur forma de prædicamento *ubi*, non solum locus exterior; alias talis motus non esset subjective in mobili, sed in corpore locante mobile. Rursus, per motum localem quandoque acquiritur gravitas actualis, vel impetus; sicut patet, quia grave descendens de alto, continue velocitat motum suum. Et iterum, nos non dicimus quod forma artis, vel virtus, acquiratur instrumento per motum localem, sed simul cum motu locali, per quemdam influxum artis in manum et in instrumenta; qui quidem influxus non est proprius motus, aut transmutatio physica. Unde sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 5, art. 8, sic dicit: « Corpus habet actionem duplensem. Unam quidem secundum proprietatem corporis, ut scilicet agat per motum; hoc enim est proprium corporis, ut motum moveat et agat. Aliam autem habet actionem, secundum quod attingit ad ordinem substantiarum separatarum, et participat aliquid de modo ipsarum; sicut naturæ inferiores consueverunt aliquid participare de propria natura superioris, ut appareat in quibusdam animalibus, quæ participant aliquam similitudinem prudentiae, quæ est propria hominis. Hæc autem est actio corporis, quæ non est ad transmutationem materiæ, sed ad quemdam diffusionem similitudinis formæ in medio, secundum similitudinem spiritualis intentionis quæ recipitur de re in sensu vel in intellectu. Et hoc modo sol illuminat aerem, et color multiplicat speciem suam in medio. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod corpus aliquid participat de (6) modo actionis substantiarum separatarum, diffundendo, sine transmutatione, suam similitudinem in aliud corpus. Non ergo est inconveniens si anima humana, quæ vicinior est substantiis separatis secundum naturæ ordinem, participat illum modum agendi et influendi: ut scilicet intentionem suæ formæ influat membris, et, mediantibus membris, influat instrumentis et materiæ exteriori intentionem formæ artis.

Dicitur secundo principaliter, quod illud quod dicit arguens de instrumento secundo modo dicto, manifeste falsum est: nam agens primarium videamus influere in secundarium, sive sit conjunctum, sive separatum. Et de separato patet: nam cœlum influit lumen et virtutem activam corporibus inferioribus; magnes influit virtutem ferro, ita ut ferrum confricatum vel tactum a magnete habeat virtutem trahendi aliud ferrum; sensibilia imprimunt

medlis virtutem immutandi sensum; animal imprimit virtutem formativam semini, et similiiter planta grano.

De predictis sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 7, sic dicit: « Secundum ordinem causarum invenimus esse ordinem effectum; quod necesse est, propter similitudinem effectus et causæ. Nec causa secunda potest in effectum primæ per virtutem propriam, quamvis sit instrumentum primæ causæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis cause, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis cause per motum (a) ejus; sicut dolabra non est causa rei artificiatae per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis a quo movetur, et eam quoquo modo participat. Unde quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale est causa actionis instrumenti. Et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior; et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit ad actum. In qualibet autem re naturali invenimus quod est ens, et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturæ. Quorum primum commune est omnibus entibus; secundum omnibus rebus naturalibus; tertium omnibus exsistentibus in una specie; et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo (6) individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius cause quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et, propter hoc, nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis; nec aliquid agit ad esse, nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit, secundum virtutem propriam, talis effectus; unde, ut dicitur in libro *de Causis* (prop. 9), intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus divina. Sic ergo Deus est causa cuiuslibet actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinæ virtutis operantis. Sic ergo, si considereremus supposita agentia, quodlibet agens particulare, est immediatum ad suum effectum. Si vero considereremus virtutem qua fit actio, sic virtus superioris cause erit immediator effectui quam virtus inferioris: nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris; unde dicitur in libro *de Causis* (prop. 1), quod virtus cause primæ prius influit in causatum, et vehementius ingreditur in ipsum. Sic ergo oportet virtutem divinam adesse cuilibet rei.

(a) materialiter. — naturaliter Pr.

(6) id est. — Om. Pr.

(a) motum. — modum Pr.

(6) ergo. — enim Pr.

agenti, sicut virtutem corporis cœlestis adesse cui-libet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt : quia ubicumque est virtus divina, est essentia divina; non autem essentia corporis cœlestis est ubicumque est sua virtus; et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste. Et ideo potest dici quod Deus in qualibet re naturali operatur (α) inquantum ejus virtute qualibet res indiget ad agendum; non autem potest proprie dici quod cœlum semper agat in corpore elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat, etc. » — Hæc ille. — Item, in solutione septimi, sic dicit : « Virtus naturalis quæ est in rebus naturalibus in sui institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed illud quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola, habens quoddam esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere. Sicut igitur securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari potuit quod vis artis esset in ea quædam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei quod esset universale essendi principium. Nec iterum virtuti naturali conferri potuit ut moveret seipsum, nec ut conservaret se in esse. Unde patet quod, sicut instrumento artificis conferri non potuit quod operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod agentia naturalia inferiora, præter proprias virtutes naturales, accipiunt virtutem activam instrumentalem, et a Deo, et a corpore cœlesti. — Simile ponit 1 p., q. 415, art. 3, in solutione secundi, ubi dicit quod « quidquid in istis inferioribus generat et (ε) movet ad speciem, est (γ) sicut instrumentum corporis cœlestis, secundum quod dicitur, 2. *Physicorum* (t. c. 26), quod sol et homo generant hominem ». Item, q. 66, art. 3, in solutione secundi, sic dicit : « Cœlum empyreum influat in primum cœlum quod movetur, non aliquid transiens et adveniens per motum, sed aliquid fixum et stabile, puta virtutem continendi et causandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens. » Item, de *Potentia Dei*, q. 5, art. 8, postquam distinxit de duplice actione corporis, de qua supra dictum est, subdit : « Uterque autem modus actionis in istis inferioribus causatur ex corporibus cœlestibus. Nam ignis calore suo transmutat materiam, ex virtute corporis cœlestis; et corpora visibilia multipli-cant suas species in medio, virtute luminis, cuius fons est in cœlesti corpore. Unde, si ultraque actio

corporis cœlestis cessaret, nulla actio in istis inferioribus remaneret. Sed, cessante motu cœli, ces-sabit prima actio, sed non secunda. Et ideo, ces-sante motu cœli, erit quedam actio in istis inferioribus illuminationis et immutationis medii a sensibilibus; non autem actio per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio et corruptio. » — Hæc ille.

Quod autem magnes influat virtutem motivam ferro, testatur Commentator, 7. *Physicorum*, com. 10, ubi sic dicit : « Attractio autem in qua attrahens est quiescens, et attractum est motum, non est attractio in rei veritate; sed attractum movetur ex se ad attrahens, ut perficiat se : ut lapis motetur ad inferius, et ignis ad superius. Et similiter oportet hoc intelligere de motu ferri ad magnetem, et alimenti ad membra (α) : verbi gratia, de motu sanguinis ad superiora corporis, et universaliter nutrimenti arboris ad superiora. Sed est differentia inter illa et illa, quæ moventur ad locum proprium : quoniam illa moventur ad locum, sive fuerit propinquus, aut remotus; nutrimenta vero non moventur ad nutriendum, nisi cum fuerint in aliqua dispositione determinata. Et similiter ferrum non movetur ad magnetem, nisi cum fuerit in aliqua qualitate de magnete. Et ideo magnes, quando fricatur (ε) cum allio, amittit virtutem : nam ferrum tunc non acquirit de lapide in illa dispositione qualitatem per quam innatum est per se ferri ad lapidem. Et hoc manifestum est in (γ) cacabo, quod attrahit paleam, quando calefit. Ergo modus ille motionis, si dicatur attractio, non intendebatur ab Aristotele in hoc nomine *attractio*, cum collocetur in eis quæ moventur ex se. » — Hæc Commentator. — Ex quo patet quod, secundum eum, ideo ferrum movetur ad lapidem illum, quia lapis ille imprimet ferro aliquam qualitatem et virtutem motivam.

Item, quod animal vel planta imprimat semini suam virtutem, testatur sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 3, art. 9 (ad 9<sup>um</sup>), ubi sic dicit : « In semine, a principio suæ decisionis, non est anima, sed virtus animæ, quæ fundatur in spiritu qui (δ) in semine continetur, quod de natura sui spumosum est, et per consequens corporalis spiritus contentivum. Ista autem virtus agit disponendo materiam, et formando ad susceptionem (ε) animæ, etc. » Item, art. 11, in solutione quinti, sic dicit : « Instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quandiu retinet virtutem a principali agente impressam. Unde sagitta tamdiu movetur a sagittante, quandiu manet vis impulsus projicientis. Sicut etiam generatum tamdiu movetur a generante, in

(α) membra. — membrum Pr.

(ε) fricatur. — fertur Pr.

(γ) in. — Om. Pr.

(δ) qui. — quod Pr.

(ε) susceptionem. — successionem Pr.

(x) operatur. — operetur Pr.

(b) generat et. — generatur Pr.

(γ) est. — Om. Pr.

gravibus et levibus, quamdiu retinet formam traditam sibi a generante. Unde et semen tamdiu intelligitur moveri ab anima generantis, quamdiu remanet virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit divisum. Oportet autem movens et motum esse simul, quantum ad principium motus, non tamen quantum ad totum motum, ut patet in projectis. » — Haec ille. — Item, 4 p., q. 118, art. 1, in solutione tertii, sic dicit: « Illa vis activa quae est in semine, ex anima generantis derivata, est quasi quedam motio ipsius animæ generantis; neque est anima, aut pars animæ, nisi in virtute; sicut in sera, vel securi, non est forma lecti, sed quedam motio ad talēm formam. Et ideo non oportet quod ista vis activa habeat aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu inclusō in semine, quod est spumosum, quod etiam attestatur ipsa albedo ejus; in quo etiam spiritu est quidam calor ex virtute corporum cœlestium, quorum virtute agentia inferiora agunt. Et quia in hujusmodi spiritu concurrevit virtus animæ cum virtute cœlesti, dicitur (α) quod *homo generat hominem; et sol.* Calidum autem elementare se habet instrumentaliter ad virtutem animæ, sicut etiam ad virtutem nutritivam, ut dicitur in 2. *de Anima* (t. c. 50). » — Haec ille. — Ex quibus patet quod animal generans imprimit virtutem instrumento suo, quod est semen. Et idem patet de planta generante plantam.

Quod autem sensibilia imprimant medio intentiones formarum suarum, quarum virtute medium movet sensum, patet ex 7. *Physicorum*, commento 42, et per totum secundum librum *de Anima*.

Ex quibus apparet falsitas illius dicti arguentis, quo dicit quod agens secundarium separatum nullam virtutem accipit a primario agente, nisi suam propriam formam substantialem, et accidentia naturalia illam consequentia.

Utrum autem agens secundarium conjunctum, vel principium agendi, quod est qualitas activa, recipiat aliquam virtutem ab agente principali, quod est forma substantialis in eodem subjecto vel supposito existens, puta calor ab anima rationali vel sensitiva? Dicitur quod sic, ad hunc sensum: quia calor ille alterius speciei est quam sit calor existens in non viventibus, aut non sentientibus, aut non rationalibus; ita quod virtus addita tali calori non intelligatur esse aliqua qualitas distincta essentialementer a calore, sed esse quedam differentia specifica addita ipsi generi caloris, ad constituendum speciem quamdam caloris distinctam ab aliis caloribus. Posset etiam dici quod virtus animæ influxa calori animalis, que est instrumentum animæ vegetative, esset quedam virtus calori illi superaddita, sicut et calor cœlestis inclusus in semine, concurrens ad

generationem animalis. Nec valet ratio quam arguens in oppositum inducit, quod esset processus in infinitum. Hunc enim processum non oportet timere: quia dicetur faciliter quod illa virtus calori naturali superaddita non agit ultra suam speciem, quia continet in virtute totam speciem animæ vel animalis, non autem calor naturalis elementaris. Verumtamen, quidquid sit de calore et de similibus qualitatibus, tamen, sicut in 2. *Sentent.* (dist. 3, q. 2) diffusius ostensum est, intellectus agens influit in phantasmata, et una potentia animæ in aliam, et habitus in habitatum.

Et haec sufficient ad quintum principale Durandi.

Ad sextum dicitur quod prima conclusio ibidem deducta, optime sequitur ex praemissis, scilicet quod sacramenta novæ legis, sicut non sunt signa gratiae nisi ex divina pactione, vel institutione, vel ordinatione, ita nec sunt causa gratiae nisi ex tali ordinatione. Et illa conclusio conceditur tanquam vera. Sed secunda conclusio qua ibidem infertur, scilicet quod sacramenta novie legis non sint causa gratiae per aliquam virtutem inherenterem, nullo modo sequitur ex praemissis: ideo negatur tanquam falsa, et impertinens argumento. Plus enim requiritur ad rationem cause, potissime cause per se, quam ad rationem signi ad placitum instituti; cuiusmodi sunt sacramenta novæ legis. — Item, secundum illum modum arguendi, probaretur quod nullum signum esset causa per aliquam virtutem inherenter; quod est falsum. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 1, q<sup>ta</sup> 1, in solutione quinti, sic dicit: « Signum, quantum in se est, importat quid manifestum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicujus occulti. Et quia, ut frequentius, effectus sunt nobis manifestiores causis, ideo signum quandoque contra causam dividitur: sicut demonstratio *quia* dicitur per signum a Commentatore in 4. *Physicorum* (com. 2); demonstratio autem *propter quid* est per causam. Quandoque autem causa est manifesta quoad nos, utpote cadens sub sensu; effectus autem occultus, ut si quid expectatur in futurum; et tunc nihil prohibet causam signum sui effectus dici. » — Haec ille.

Ad septimum, negatur minor. Unde Petrus de Palude (dist. 1, q. 1) ad hoc argumentum sic respondebat: « Licit circumcisio non imprimeret characterem, tamen dispositionem imprimebat: quia, secundum Bedam, agebat ad originale tollendum; quia erat perfectius quam quodecumque aliud sacramentum. » — Haec ille. — Et huic solutioni satis concordat sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 2, art. 4, q<sup>ta</sup> 1, in solutione tertii, ubi sic dicit: « Sicut in baptismō manet character spiritualis, ratione cuius, fieri, deposita fictione, effectum baptismi recipit; ita manebat character exterior in circumcisione, quæ hoc idem efficiebat. » — Haec ille. — Alter dicitur, et melius, quod similitudo

(α) dicitur. — Dei Pr.

data de baptismō et circumcisione non valet : quia, ut dicitur in sequenti questione, circumcisio nihil causabat effectivē; secus est de baptismō.

**Ad octavum** respondet Petrus de Palude (dist. 1, q. 1) in hunc modum, dicens quod non valet similitudo. « Quia legis non est facere, sed docere; unde legis perfectioris non est facere quod imperfectior non facit, sed perfectiora præcepta aut consilia dare, et imperfecta mutare. Et sic se habet lex nova ad veterem. Sed sacramentum dicitur a sacerando. Unde imperfectum est sacramentum quod sanctitatem significat et non causat; perfectum autem debet aliquo modo causare. Ideo, etc. — Vel dicendum quod aliquā promissa (α) in lege veteri, solvuntur in nova, per ipsammet legem novam, sicut declaratio veritatis et gratiae. Quod enim lex vetus docebat obscurē, et promittebat docendum clare, hoc clare docet lex nova, sicut articulos de humanitate Christi, et hujusmodi. Aliqua vero (β) Deus exhibet in ea, sicut que sunt gratiae; aliqua post eam, sed per eam, sicut que sunt gloriae (γ). Et similiter est de sacramentis : quia gratiam quam vetera promittebant, Deus exhibet in novis, scilicet (δ) per ea dispositionem ad gratiam causat. » — Hæc ille, et bene, et concorditer sancto Thomae, *de Veritate*, q. 27, art. 4, ubi sic dicit : « Sacramenta novæ legis esse aliqualiter causam gratiae, necesse est ponи. Propter hoc enim lex vetus occidere dicebatur, et transgressionem augere, quia cognitionem peccati faciebat, gratiam vero adjutricem contra peccatum non conferebat. Si igitur nova lex gratiam non conferret, similiter occidere diceretur, et transgressionem augere; cuius contrarium doctrina apostolica profiteatur. Non autem confert gratiam per solam instructionem, quia lex vetus hoc habebat; sed per sua sacramenta gratiam aliqualiter causando. Unde Ecclesia non est contenta catechismo, quo instruit aeedentem; sed ei superaddit sacramenta, ad gratiam habendam. Quam quidem sacramenta veteris legis non conferebant, sed tantum significabant. Significatio vero ad instructionem pertinet. Sic ergo, quia vetus lex tantum instruebat, ejus sacramenta erant gratiae solum signa; quia vero lex nova instruit et justificat; ejus sacramenta sunt causa gratiae et signa. » — Hæc ille.

Dicitur ulterius, quod excellentia novæ legis et suorum sacramentorum, quam eis arguens attribuit supra sacramenta veteris legis, nulla est, aut multum insufficiens : quia ex quo sacramenta novæ legis nihil penitus efficiunt ad justificationem plus quam sacramenta veteris legis, sequitur quod lex nova non plus justificat quam vetus, sed solum

quod alio modo significat gratiam quam vetus, et quod Deus justificat in ista, et non in illa. De hoc beatus Thomas, *de Veritate*, ubi supra (q. 27, art. 4), sic dicit : « Quonodo autem sacramenta sint causa gratiae, non eodem modo omnes tradunt. Quidam enim dicunt quod sunt causa gratiae, non quia aliquid ad gratiam habendam operentur per aliquam virtutem eis inditam, sed quia in eorum susceptione gratia datur a Deo, qui (ε) sacramentis assistit, ut sic dicantur causa gratiae per modum cause sine qua non. Et ponunt exemplum de hoc quod aliquis habens denarium plumbeum, accipit centum libras: non ideo quod denarius plumbeus sit causa faciens ad receptionem centum librarum; sed quia sic est statutum ab eo qui potest dare, ut quicumque defert talium denariorum, accipiat tantam pecuniam. Similiter statutum est a Deo ut quicumque accipiat sacramenta non fictus, gratiam accipiat, non quidem a sacramentis, sed ab ipso Deo. Et hoc idem dicunt sensisse Magistrum in 4. *Sentent.*, dist. 1, cum dixit quod *accipiens sacramentum, querit salutem in inferioribus se, etsi non ab illis*. Hæc autem opinio non videtur sufficenter dignitatem sacramentorum novæ legis salvare. Si enim recte consideretur exemplum ab eis positum, et alia similia, non invenitur quod causa quam dicunt sine qua non, se habeat ad effectum, nisi sicut signum. Denarius plumbeus non est nisi signum receptionis pecuniae, et baculus potestatis quæ (ζ) confertur abbatii. Unde, si sic se habent sacramenta novæ legis ad gratiam, sequitur quod sint solum signa gratiae, et ita nihil habebunt præ sacramentis veteris legis; nisi forte quis dicat quod sacramenta novæ legis sint signa gratiae simul cum eis date, sacramenta vero veteris legis gratiae promisso. Sed hoc magis pertinet ad conditionem temporis quam ad dignitatem sacramentorum : quia in tempore illo promittebatur gratia, nunc autem est tempus plenitudinis gratiae, propter reparationem humanæ naturæ jam factam; unde, secundum hoc, sacramenta ista, si tunc fuissent, cum foto eo quod nunc habent, nihil plus fecissent quam illa, nec illa nunc minus ficerent quam (γ) ista, etiam nulla additione eis facta. » — Hæc ille.

**Ad nonum** dicitur primo, quod, sicut supra visum fuit, ex illa diffinitione Augustini bene intellecta arguitur quod sacramenta sunt causa gratiae instrumentalis, aliquo modo effectiva gratiae, cum dicit quod divina virtus in eis operatur. Et, dato quod prima facie appareret alicui quod (δ) Augustinus in diffinitione quam allegat arguens, non dicat sacramentum esse causam gratiae, tamen ex

(α) *promissa.* — *permissa* Pr.

(β) *Aliqua vero.* — *Alia vera* Pr.

(γ) *gloriæ.* — *gratiae* Pr.

(δ) *scilicet.* — *sed* Pr.

(α) *qui.* — *quæ* Pr.

(β) *quæ.* — *qui* Pr.

(γ) *quam.* — *pro* Pr.

(δ) *licet.* — *Ad* Pr.

multis dictis ejus hoc habetur (α), utputa cum dicit aquam baptismalem abluere cor, et babere tantam vim ad hoc : si enim nihil ficeret ad justificationem, sed esset tantummodo signum, non diceret illam habere tantam vim; sicut de denario plumbico non recte dicitur quod habeat vim, nec quod det centum libras. — De hoc Gratianus, cans. 1, q. 1, can. *Detrahe*, sic dicit : *Detrahe verbum aquæ, quid est, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde ista est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? non quia hoc dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus permanens.* — Hac ille. — Et sunt verba Augustini, super illud Joan. 45 (v. 3), *Vos mundi estis propter sermonem, etc.*, ubi multa dicit de virtute verbi et baptismi, quae nullo modo possunt bene intelligi de causa *sine qua non*; quae nihil penitus efficit respectu effectus cuius dicitur causa. — Item, *de Consecratione*, dist. 4 (can. 2) : *Per baptismum agitur ut caro peccati evanescatur.* Et sunt verba Augustini, *de Baptismo parvorum* (lib. 1, cap. 39). — Item, ibidem (can. 4) : *Non potest quis gradiam vita cœlestis accipere, nisi purgatus fuerit ab omni sorde peccati per paenitentia confessionem, per donum baptismi salutaris Domini et Salvatoris nostri Iesu Christi.* Et sunt verba Chrysostomi (*Homil. de Paenitent.*). — Item, ibidem (can. 8) : *Parvuli baptizati inter credentes reputantur per sacramenti virtutem, et offerentis responsionem.* Et sunt verba Augustini, *de Baptismo parvorum* (lib. 1, cap. 32). — Item, ibidem (can. 9) : *Per aquam baptismi transitus est de terrenis ad cœlestia. Ideo Pascha dicitur transitus. Hic transitus est de terrenis ad cœlestia, de peccato ad vitam, de culpa ad gratiam, de inquinamento (β) ad sanctificationem. Qui per hanc aquam transit, non moritur, sed resurgit. Non omnis aqua sanat, sed illa que habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio. Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descendat in eam, et aquam illam consecret.* Et sunt verba Ambrosii, *de Sacramentis* (lib. 1, cap. 4). — Item, ibidem (can. 10) : *Nunquam baptismi aqua purgare peccata credentium posset, nisi tactu dominici corporis sanctificata fuisset.* Et sunt verba Chrysostomi (γ). — Item, ibidem (can. 13) : *Proprie in morte crucifixi, et in resurrectione a mortuis, potentia baptismi novam creaturam condidit ex vetere.* Et sunt verba Leonis Papæ universis episcopis per Siciliam

constitutis (epist. 4, cap. 3) (δ). Et multa similia ibidem recitantur. — Item, Ambrosius, in quadam sermone de Epiphania, qui incipit, *Intelligere possumus, Fratres, etc.*, sic dicit : *Sicut post partum glorificata est Maria castificatio; ita, post baptismum Christi, aquæ est purificatio comprobata; nisi quod majori munere quam Maria hæc unda ditata est. Illa enim sibi tantum meruit castitatem; ista etiam nobis contulit sanctitatem. Illa meruit ne peccaret; ista ut peccata portaret. Illa propria delicta a se repudiavit; ista in se, per Dei gratiam, aliena condonat. Illi est collata virginitas; isti donata secunditas. Illa unum procreavit, et pura est; ista generat plures, et virgo est. Illa, præter Christum, filium nescit; ista, cum Christo, mater est popolorum.* — Hæc Ambrosius. — Item, Augustinus, ut recitat sanctus Thomas, 3 p., q. 62, art. 4, in solutione tertii, in quadam sermone de Epiphania, sic dicit : *Nec mirum quod aquam, hoc est, substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire. Perrenit plane, et penetrat conscientiæ universa latibula. Quamvis enim ipsa sit subtilis et tenuis, benedictione tamen Christi subtilior, occultas vite causas ad secreta mentis subtili rore pertransit.* — Hæc ille. — Item sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 7, q. 1, art. 3, q<sup>ta</sup> 1, in solutione secundi, sic dicit : « Dionysius dicit, in fine Ecclesiastice Hierarchiæ (cap. 7) : *Consummativas autem invocationes*, id est, verba quibus perficiuntur sacramenta, *non est justum Scripturis interpretari* (ε), *neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere; sed, ut (ζ) nostra traditio habet, sine pompa, id est, occulte, ea edocens*, etc. Ex quibus verbis tria possumus accipere. Primo, quod Apostoli in sacramentis utebantur certa forma verborum : quia ipse alibi (eod. libr., cap. 1) dicit quod tradit ritum sacramentorum sicut Apostoli docebant. Secundo, quod in occulto tradebantur hujusmodi sacramentalia in primitiva Ecclesia. Tertio, quod in ipsis verbis est quedam virtus; quod quidam negant. » — Hæc ille. — Item, 3 p., q. 73, art. 1, in solutione secundi, sic dicit : « Aqua baptismi non causat aliquem spiritualem effectum propter ipsam aquam, sed propter virtutem Spiritus Sancti in aqua existentem. Unde Chrysostomus dicit super illud Joannis 5 (v. 4), *Angelus Domini secundum tempus, etc.* : *In baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum Spiritu Sancti suscepit gratiam, tunc omnia solvit peccata.* » — Hæc ille. —

(α) *habetur. — haberetur* Pr.  
(β) *inquinamento. — inquinato* Pr.

(γ) Immo Chromatii, in cap. 3 Math., tract. 4 (Cfr. *Corpus Juris canonici*, edit. Lipsiensis 2, vol. 1, pag. 1303, not. 116).

(δ) *Scripturis interpretari. — Scripturas interpretantibus* Pr.

(ζ) *ut. — Om. Pr.*

Ex quibus omnibus, et multis aliis sanctorum dictis, quae adduci possent, appareat manifeste quod, cum Magister addit definitioni Augustini, sacramenta esse causam gratiae, non addit ex propriis, sed ex dictis Augustini et aliorum sanctorum, et quod in hoc sequitur mentem eorum. Item, appareat quod opinio Durandi et aliorum dicentium sacramenta nihil efficere ad justificationem vel gratiae susceptionem, nec habere aliquam virtutem eis inditam ad hoc efficiendum, multum extranea et discors est a mente sanctorum; et quod detrahit novae legi et suis sacramentis, ponendo ea infirma, egena, et nullius activitatis, sicut erant sacramenta veteris legis.

Dico secundo, quod glossa quam dat arguens ad dicta Magistri, nihil valet, cum sit contra mentem Magistri et sanctorum, et forte contra dicta Christi et Apostolorum. Christus enim dicit, Joan. 3 (v. 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc.; constat autem quod *ly ex* non potest importare ibidem solam causam *sine qua non*, nisi summe abusive loquendo. Item, Paulus, *Ephesior.* 5 (v. 26): *Mundans eam lavaero aqua in verbo ritæ*. Item, Petrus, 1. Petri, 3 v. 21): *Salvos facit baptismus*. Et multa talia, quae Augustinus recitat, Joan. 45, et applicat ad propositum nostrum et suum.

Dicitur tertio, quod distinctio quam facit arguens de duplice accidente, non valet ad propositum. Tum quia, ut visum est, sacramentum non se habet ad causandum gratiam solum per modum cause per accidens, nihil omnino efficientis. Tum quia, licet accidens proprium, vel inseparabile (quod ideo dicitur accidentis quia inheret ei cuius dicitur accidentis), possit ponи in descriptione subjecti vel definitione *quid nominis*; tamen accidentis quod non dicitur accidentis ab inherendo, sed ex sola concomitantia ad illud cuius dicitur accidentis, nec fluit ex principiis ejus, nec notificat ejus essentiam, nec virtutem, immo potius dicit in errorem circa predicta, nullo modo debet ponи in ejus descriptione vera, sicut in vera definitione *quid nominis*. Sic autem esset in proposito, si sacramentum nihil omnino efficeret respectu gratiae; quia causalitas gratiae non inhereret sacramento, sed concomitaretur illud; nec notificaret ejus essentiam aut virtutem, sed potius abduceret ab ejus notitia, cum non causa diceretur esse causa, et non efficiens, efficiens; sicut si quis yellet describere quantitatem, dicens eam esse principium motus et quietis corporum physicorum, quia scilicet talia non sunt sine quantitate.

Ad decimum dicitur primo, quod arguens false glossat Augustinum. Nam, quantumcumque garruletur, non potest evadere quin Augustinus dicat quod aqua baptismi cor abluit; que ablution non fit sine gratia. Item, Augustinus dicit quod *est tanta vis in illa aqua*; quod non diceret, si sentiret illam solum esse causam *sine qua non* et per accidens, et

nihil omnino efficere, sed significare; quia in signo et in causa per accidens et *sine qua non*, non (a) oportet ponere vim nec virtutem ad abluendum aut efficiendum. Item, quia non solum Augustinus dicit hoc semel, sed sepiissime, sicut et alii sancti, post Christum et Apostolos.

Dicitur secundo, quod false exponit Bedam et alios sanctos post quos Beda locutus est, ut patet ex predictis. Et cum dicit arguens, quod dictum Bedae est contra nos, quia caro Christi non est passio Christi, etc., — dicitur quod passio Christi non causat virtutem sacramentalem ut passio est, sed ratione subjecti sui, quod fuit caro Christi unita divinitati, vel ratione sui suppositi, quod est Christus. Et ideo et caro Christi et passio causant illam virtutem; sed immediatus caro, ex parte principalis agentis; passio autem fuit immediator effectui, ut supra in simili dictum fuit. — De predictis sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 27, art. 4, sic dicit: « Nec sacramentum, nec aliqua creatura potest dare gratiam per modum per se (c) agentis; quia hoc solius divine virtutis est. Sed sacramenta instrumentaliter ad gratiam operantur. Quid sic patet. Damascenus (*de Fid. Ort.*), enim, tertio libro (cap. 15), dicit quod humana natura erat velut organum divinitatis. Et ideo humana natura aliquid communicabat in operatione virtutis divine: sicut quod Christus tangendo leprosum mundavit; sicut enim tactus Christi causabat instrumentaliter salutem leprosi. Sicut autem humana natura in Christo communicabat ad effectum divinae virtutis instrumentaliter in corporalibus effectibus, ita etiam in spiritualibus. Unde sanguis Christi, pro nobis fusus, habuit vim ablutionis peccatorum; *Apocalyps.* 1 (v. 5): *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*; et, *Roman.* 3 (v. 24 et 25): *Justificati in sanguine ipsius*. Et sic humanitas Christi est causa instrumentalis justificationis. Quae quidem causa nobis applicatur spiritualiter per fidem, et corporaliter per sacramenta: quia Christi humanitas et spiritus et corpus est, ad hoc ut effectum sanctificationis, que est per Christum, in nobis percipiamus. Unde illud sacramentum est perfectissimum, in quo corpus Christi realiter continetur, scilicet Eucharistia; et est omnium aliorum consummativum, ut dicit Dionysius in *de Ecclesiastica Hierarchia* (cap. 3). Alia vero sacramenta (d) participant aliquid de virtute illa qua humanitas Christi instrumentaliter operatur ad justificationem; ratione cuius sanctificatus baptismismo sanctificatus in sanguine Christi dicitur ab Apostolo, *Hebreor.* 10. Unde et passio Christi in sacramentis dicitur operari. Et sic sacramenta novae legis sunt causa gratiae, quasi

(a) *non.* — Om. Pr.

(c) *per se.* — *per se.* Pr.

(d) *que.* — Ad. Pr.

instrumentaliter operantia ad gratiam. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod et Christi humanitas et ejus passio operantur in sacramentis. Sed specialiter circa sacramenta baptismi, de quo verlatur quæstio, a quo habeat efficaciam, utrum carne Christi, vel ejus passione, sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 3, q<sup>o</sup> 1, art. 2, dicit sic, in solutione secundæ quæstionis: « Multiplex, inquit, fuit baptismi institutus. Fuit enim primo institutus, quantum ad materialiter in baptismo Christi: tunc enim vim regenerativam aquis contulit. Et aliquo modo forma fuit figurata per presentiam trium personarum in signo visibili; quia Pater apparuit in voce, Filius in carne, Spiritus in columba. Et similiter fructus baptismi ibidem prefiguratus fuit; quia coeli aperiuntur super eum. Sed necessitas ejus fuit declarata Iohann. 3, v. 51, ubi dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu*, etc. — quando misit discipulos ad praedicandum et baptizandum, ut patet, Matth. 40. Sed efficaciam habuit ex passione Christi, quantum ad ejus ultimum effectum, qui est apertio janua. Sed divulgaro ejus quantum ad omnes nationes, præcepta fuit Matth. 28, v. 19, ubi dixit: *Euntes docete gentes*, etc. — Ex quibus patet quod baptismus accepit virtutem instrumentaliter et ex contactu carnis Christi, et ex ejus passione, sed diversimode. Item, 3 p. 266, art. 2, in solutione primi, sic dicit: « *Acto* passionem Christi, baptistus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum ipsam prefigurabat. » — Alter tamen quam sacramenta veteris legis, nam illa erant figure tantum, baptismus autem ab ipso Christo habebat virtutem justificandi, per cuius instrumentum etiam ipsa passio salutifera fuit. » — Haec ille. — Ex quo patet quod falsè dicit, quod Christi contactus nullam virtutem contulit; et tenerarie negat dicta sanctorum. — Cum vero dicit ulterius, quod, secundum nos, sacramenta non habent virtutem nisi quando applicantur ad usum, etc., — respondet sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 1, art. 4, q<sup>o</sup> 2, in solutione secundæ *Instrumento* (2), inquit, datur virtus agendi instrumentaliter dupliciter. Uno modo, quasi inchoative, quando constituitur in specie instrumenti; et ideo dicit Hugo de S. Victore, *quod continent gratiam confirmationis*. Alter modo datur complete, quantum actu (6) movetur a principali agente, sicut carpentarius ultor serrari. — Similiter complete datur circa sacramenta in ipso usu sacramentorum. Nec est inconveniens si virtus que molui proportionatur, datur rei statim vel post modicum deferratur. — Haec ille. — Item, in 3 p. 3, q. 66, art. 2, sic dicit: « Sacra menta ex sui institutione, habent quod conferant gratiam,

Unde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vera baptismus institutus fuit, quantum ad ipsum sacramentum. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod aqua accepit virtutem sacramentalē inchoative in ipso baptismo Christi, quo caro sua aquas tetigit; sed completere accepit virtutem in ipso usu sacramenti, accedente verbo ad elementum. Et sic concordari possunt dicta sanctorum.

Dicitur ulterius, quod circumcisio non causabat gratiam effective, sicut causat baptismus, et alia sacramenta novae legis: sicut prius dictum est (2), et in sequentibus latius explicabitur. Sed verum est quod in circumcisione rite collata et suscepta conferrebat gratia a Deo, non circumcisio, nisi sicut a causa *sine qua non*. Ideo non est simile hic et ibidem.

Dicitur ultimo, quod auctoritas Christi quam arguens affert, est gladius Goliæ, suum decapitans vectorem. Christus enim expresse dicit (Iohann. 3, v. 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu*, etc.; ubi ostendit aquam regenerare baptizatum, et consequenter aliquid agere ad ejus justificationem, que fit per gratiam. Nec valet quod dicit arguens, quod Christus postea totam efficaciam attribuit Spiritui Sancto, etc. Licit enim attribuat efficaciam Spiritui Sancto, tanquam agenti principali, non tamen negat, immo premit, aquam aliquid in suo ordine agere, tanquam instrumentum.

Et ista sufficient ad objecta Durandi contra quartam conclusionem.

**II. Ad argumenta Scoti.** — **Ad primum** Scoti contra eamdem quartam conclusionem, dicitur quod virtus quam ponimus in sacramentis, secundum quod sonant dicta sancti Thomæ, est forma spiritualis per essentiam, et non solum ratione effectus quem in anima causat. Et cum querit argutens, an sit in sacramento divisibiliter, — dicitur quod est ibi indivisibiliter, id est, tota in toto, et tota in qualibet ejus parte. Et ad hujus improbationem, dicitur, quod, licet infer formas perficientes materiam corporalem per modum entis completi, sola anima intellectiva ponatur talis, id est, tota in toto, et tota in qualibet parte interiori sue; tamen nihil prohibet multas alias formas spirituales, se habentes per modum entis incompleti et intentionis fluentis, illo modo perficiere, non quidem corporalem materiam, sed rem corpoream et subjectum corporeum, sicut superius (ad 1<sup>o</sup> Durandi) fuit saepius recitalum ex dictis sancti Thomæ. Nec est nova ista positio. Nam Averroës, in 3. *de Anima*, com. 5, ponit plantasmata corporalia, esse subjectum speciei intelligibilis,

(2) *Instrumento.* — In subiecto P. 6.

(6) *actu.* — actio Pr.

(3) Cfr. § 3, 1, ad 1<sup>o</sup>.

quam constat esse indivisibilem, et penitus inextensam, et omnino spiritualem. In quo, licet falsum dixerit, tamen, ut appareat, apud eum non erat inconveniens accidens spirituale et indivisible, esse in subjecto extenso et divisibili corporali.

Ad secundum patet responsio per predicta. Quia virtus quam ponimus in verbis sacramentalibus, est subjective duntaxat in ultima syllaba, vel in actu ejus ultimo, sive illud sit divisible, sive indivisible. Nec tamen praecedentes syllabae superfluum: quia, licet non maneant in ultimo instanti prolationis et totius orationis in se, manent tamen in suo effectu, scilicet in completa significacione totius orationis, ad quam causandum aliquid efficit quelibet syllaba. De hoc Petrus de Palude, in suo *Quodlibeto*, q. 2, sic dicit: « Nullum inconveniens sequitur, si ponatur quod virtus sacramentalis sit tantum in ultima syllaba verborum, et in ultima gutta aquae: quia, licet praecedentes syllabae, vel praecedentes partes aquae, nihil efficiant ad causandum effectum sacramenti, tamen facerent ad significandum seu representandum; et utrumque est de ratione sacramenti, scilicet significare et (z) efficiere; et ideo alias syllabae, et alias partes aquae, non superfluerent, quia facerent aliquid ad hoc quod est de ratione sacramenti, scilicet significando et representando. Si autem ponatur quod virtus conferatur euilibet syllabae, aut euilibet parti aquae, adhuc non sequitur aliquid inconveniens. Et hoc patet primo de aqua. Nam, esto quod illa virtus conferretur toti aquae a principio lotionis, et ultimus effectus, sciens character, non habetur nisi in ultimo instanti in quo completa est lotio, tamen non frustra conferitur virtus illa partibus aquae fluentibus ante lotionem completam: quia, sicut dicetur infra, sacramentum exercendo propriam actionem circa compositum (quod est necessarium ad hoc quod agat ad effectum principalis agentis), effectus ille proprius instrumenti, quod est sacramentum, sive sit mundatio, sive infusio, sive qualemque aliud, manet, dato quod partes motus quo homo lavatur non maneant; et ideo, manente effectu, agitur ad effectum principalis agentis; qui quidem effectus est character. Et idem potest dici de verbis. Ad eius evidentiam, sciendum est quod verbum, quantum ad sonum causatum in aere moto, non est proprietas, sed qualitas nata movere organum auditum; sed mensura motus quo talis qualitas generatur, est quantitas discreta, successiva, composta ex diversis instantibus, quorum tamen unum succedit alteri, sicut est in quolibet tempore discreto; et ideo talis qualitatis effectus potest manere in composito, sicut est organum auditum, transeuntibus primis partibus orationis vel fictionis, sicut dictum est de partibus lotionis; et ideo, etiam quantum ad causalitatem,

nón superfluum tales partes praecedentes, quia effectus earum manet. — Sed contra hoc posset objici. Quia, qua ratione potest manere effectus partium priorum lotionis vel orationis, transeuntibus primis partibus lotionis vel orationis, eadem ratione, transeunte tota lotione vel oratione, potest remanere effectus in composito. Sed hoc est inconveniens: quia in ultimo instanti quo completur lotio vel oratio, habetur effectus principalis agentis, scilicet character; et ideo frustra maneret ille effectus in composito, in comparatione ad effectum principalis (z) agentis. — Secundo, ad idem. Quia, sicut communiter dicitur, non est dare ultimum instans in quo res ultimo sit; sed est dare primum instans in quo res primo non est, quod est ultimum instans temporis in quo res fuit. Sed effectus sacramenti fit in instanti: non in instanti in quo incipit usus sacramenti, sed in instanti in quo terminatur talis usus. Sed, in illo instanti, nec est usus, nec virtus collata; sed, in illo instanti, virtus collata sacramento, et usus ejus, primo non est. Sed nihil agit quando non est. Ergo virtus illa nihil agit ad characterem; quia tunc primo est character, quando illa virtus primo non est. — Ad primum istorum, dicitur quod non est inconveniens quod effectus lotionis et orationis maneat in composito, transeunte tota lotione vel oratione. Nec tamen frustra, licet habeat suum effectum in ultimo instanti quo completur oratio vel lotio: quia, licet maneat dum nihil efficit, hoc est quia natura rei hoc facit, quod nulla res potest manere in solo instanti temporis continuo; sed bene potest aliquid manere vel stare in solo instanti temporis discreti; et tunc esse in solo nunc temporis discreti, est esse in aliqua parte temporis continuo; et potest manere postquam habet suum effectum, absque hoc quod sit frustra; quia nec esse potuit habere, nec agere, nisi esset in aliqua parte temporis continuo. Sed, secundum eos qui ponunt quod aliqua res potest esse in instanti temporis continuo, effectus qui fit in composito, habet esse completum in solo nunc temporis continuo, nec est ante, nec post; in quo nunc haberet effectum, si character est. — Ad secundum, facile esset respondere, secundum eosdem: quia, secundum eos, est dare ultimum instans temporis continuo, quo res habet esse ultimo; et sic non sequeretur quod illa virtus ageret eum primo non est, sed quando ultimo est; hoc autem non est inconveniens, quod res agat quando est ultimo, loquendo de actione instantanea. Loquendo autem secundum communem opinionem, dicitur quod quando dicitur quod non est dare ultimum instans in quo res ultimo sit, hoc intelligitur de nunc temporis continuo, non autem de nunc temporis discreti; nunc autem ita est, quod virtus illa collata sacramentis, vel effectus

(x) significare et. — Om. Pr.

(z) principalis. — principalem Pr.

causatus in composito, non mensuratur tempore continuo, vel *nunc* ejus, sicut propria mensura, sed *nunc* temporis discreti, quod potest coexistere parti temporis continui; et ideo non oportet quod agat quando ultimo est, vel quando primo non est, quantum ad primum et ultimum acceptum secundum *nunc* temporis continui; sed agit quando ultimo est secundum *nunc* temporis discreti, in quo est dare ultimum *nunc* in quo ultimo res est; quod quidem *nunc* coexistit alicui parti temporis continui, que habet *nunc* primum et *nunc* ultimum, in quorum primo habet suum effectum illa virtus, et in ultimo habet primo non esse. » — Hac Petrus in forma, et bene; nisi quod recurrat ad instantia temporis discreti, ubi non apparet necessitas; potissime quia sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 41, q. 4, art. 3, q<sup>ta</sup> 2, in solutione secundi, ponit quod « conversio panis in corpus Christi sequitur motum prolationis verborum, qui habet reduci ad mensuram motus cœli; sicut illuminatio sequitur ad motum localem quo desertur illuminans. Et ideo oportet quod instantia accipientur in hac conversione secundum mensuram motus cœli. » — Hæc ille. — Et similiter dicit, 3 p., q. 75, art. 7, in solutione secundi. Et ideo dicendum est, sicut alias, tam in *secundo* quam in *tertio* (α) dictum est, quod non est inconveniens talia entia incompleta, cujusmodi sunt relationes, mutationes, generationes, corruptiones, puncta; instantia, mutata esse, et alia hujusmodi, que non proprie fiunt nec generantur nec corrumpuntur, sed consequuntur aliorum factiones, durare per unicum instans temporis continui; inter que potest connumerari virtus sacramentalis, que consequitur prolationem verborum sacramentalium, et cuius operatio durat per solum instans temporis continui; ideo non oportet eam amplius durare. Omnia enim argumenta quæ possunt adduci contra hoc quod dicimus illam virtutem durare per solum instans temporis continui, possunt adduci contra hoc quod ejus operatio, puta productio characteris vel ornatus, vel cooperatio ad transsubstantiationem panis in corpore Christi dicitur durare per solum instans temporis continui; et tamen argumenta contra secundum inducibilia non valent; et consequenter nec inducibilia contra primum oportet multum formidare.

Ad tertium principale Scotti, patet responsio per predicta ad argumenta Durandi. Quia virtus sacramentalis datur inchoative rebus sacramentalibus, ante usum sacramenti; sicut aquæ baptismali, in ipso contactu corporis Christi, fuit collata vis regenerativa. Et consimiliter, aliis rebus sacramentalibus collata fuit virtus justificandi inchoative, in ipsa institutione sacramentorum a Christo. Tamen completere hanc virtutem accipiunt in ipsa applica-

tione sacramenti ad usum proprium. — Nec valent objecta in oppositum. Nam prima collatio non est aliter miraculosa quam institutio sacramentorum, in qua Christus fecit perpetuum pactum cum Ecclesia de assistendo et cooperando sacramentis. Similiter tunc dedit idoneitatem sacramentis, ad hoc ut essent instrumenta habilia ad causandum dispositionem ad gratiam. Non est etiam inconveniens, si agens principale plus confert instrumento dum utitur actualiter eo ad inductionem sui principalis effectus, quam ante usum talis instrumenti; quia, etiam secundum arguentem, confert ei aliquam portionem, quam antea non conferbat..

Ad quartum, negatur consequens. Pluralitas enim quam opinio nostra ponit, sequitur ex fide, scilicet ex dictis Christi et Apostolorum et sanctorum doctorum: scilicet quod talis virtus causativa dispositio ad gratiam, sit in sacramentis, ut patuit ex praedictis. Omne namque agens oportet agere per aliquam virtutem. Unde sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 1, q. 1, art. 4, q<sup>ta</sup> 4, sic dicit: « Quia omne agens agit sibi simile, ideo effectus agentis oportet quod aliquo modo sit in agente. In quibusdam enim est idem secundum speciem; et ista dieuntur agentia, univoca; sicut calor est in igne calefaciente. In quibusdam vero est idem secundum proportionem vel analogiam; sicut cum sol calefacit: est enim idem in sole aliquid quod ita facit eum calefacientem sicut calor facit ignem calidum; et, secundum hoc, calor dicitur esse in sole aequivoce, ut dicitur in libro *de Substantia orbis* (cap. 2). Et ex hoc patet quod illud quod est in effectu ut forma dans esse, est in agente, in quantum hujusmodi, ut virtus activa. Et ideo, sicut se habet agens ad virtutem activam, ita se habet ad continentiam (α) formam effectus. Et quia agens instrumentale non habet virtutem agendi ut aliquod ens completum (β), sed per modum intentionis, ideo et forma introducta continetur in eo per modum intentionis; sicut sunt species colorum in aere, a quibus aer non denominatur coloratus. Et hoc modo gratia est in sacramentis, sicut in instrumento, non complete, quantum ad effectum, etc., » ut prius allegatum fuit (γ). — Cum autem dicit arguens, quod, si esset in sacramentis talis virtus, non causaretur in eis nisi ex divina pactione, etc.; — dicitur quod Deus pepigit dare gratiam per talia instrumenta. Unde sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 27, art. 4, in decimosexto loco, arguit sic: « Habere auxilia signum est potentiae agentis. Sed instrumenta coadjuvant ad actionem principalis agentis. Ergo Deo, qui est potentissimum agens, non competit ut per sacramenta, quasi per instrumenta, gratiam conferat. » Ecce argumentum. Sequitur responsio:

(α) continentiam. — continuandum Pr.

(β) completum. — compositum Pr.

(γ) Cfr. *Ad primum* Durandi.

« Dicendum, inquit, quod Deus non utitur instrumentis vel causis mediis in sua actione propter sui indigentiam, sed propter effectum convenientiam. Conveniens enim est ut nobis divina remedia exhibeantur secundum modum nostrum, id est, per sensibilia, ut dicit Dionysius, 1 cap. *Ecclesiastice Hierarchiæ*, et 2 cap. *Cœlest. Hierarch.* (z). » — Haec ille.

Ad quintum, negatur antecedens. Nam exempla quæ beatus Thomas adducit, sufficientia sunt ad hoc ad quod inducuntur.

Et ad primam improbationem *primi exempli*, de sermone audibili, dicitur quod sermo doctorum continet virtualiter conceptionem intelligibilem, ad quam excitat discipulum. Et cum dicit arguens quod impositio vocum vel scriptorum non potest dare voci aut scripto aliquam formam absolutam, etc. : — dicitur quod, licet non det voci aliquam formam absolutam, habentem esse completum, potest tamen dare sibi formam habentem esse intentionale fluens, scilicet virtutem excitandi audientem, ut reducat se de actu primo in secundum, et ut conceptionem quam habet habitu, consideret in actu. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 11, art. 1, arguit sic, undecimo loco : « Scientia nihil aliud esse videtur quam descriptio rerum in anima, cum scientia esse dicatur assimilatio scientis ad scitum. Sed unus homo non potest in anima alterius describere rerum similitudines : sic enim interius operaretur (6) in ipso; quod solius Dei est. Ergo unus homo alium docere non potest. » — Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod in discipulo describuntur formæ intelligibles, ex quibus scientia per doctrinam accepta constituitur, immediate quidem per intellectum agentem, sed mediate per eum qui docet. Proponit enim doctor rerum intelligibilium signa, ex quibus intellectus agens accipit intentiones intelligibles, et describit eas in intellectu possibili; unde ipsa verba doctoris audita, vel visa in scripto, hoc modo se habent ad causandum scientiam in intellectu, sicut res que sunt extra animam; quia ex utrisque intellectus agens intentiones intelligibles accipit; quamvis verba doctoris propinquius se habeant ad causandum scientiam quam sensibilia extra animam existentia, in quantum sunt signa intelligibilium intentionum. » — Haec ille. — Item, duodecimo loco, arguit sic : « Boetius dicit in libro *de Consolatione* (lib. 5, pros. 5), quod per doctrinam solummodo excitatur mens hominis ad sciendum. Sed ille qui excitat intellectum ad sciendum, non facit eum scire; sicut ille qui excitat aliquem ad videndum corporaliter, non facit eum videre. Ergo unus homo non facit alium scire; et ita non proprie potest dici quod cum

doceat. » — Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, quod non est omnino simile de intellectu et visu corporali. Visus enim corporalis non est vis collativa, ut ex quibusdam suorum objectorum in alia proveniat; sed omnia objecta sua sunt ei visibilia, quam cito ad illa convertitur. Unde habens potentiam visivam, se habet hoc modo ad omnia visibilia intuenda, sicut habens habitum ad ea quæ habitualiter seit consideranda. Et ideo videns non indiget alio excitari ad videndum, nisi quatenus per alium ejus visus dirigitur in aliquod visibile, ut digito, vel aliquo hujusmodi. Sed potentia intellectiva, cum sit vis collativa, ex quibusdam in alia devenit. Unde non aequaliter se habet ad omnia intelligibilia consideranda; sed quedam statim videt, ut quæ sunt per se nota, in quibus implicite continentur quedam alia, quæ intelligere non potest, nisi per officium rationis, ea quæ in principiis implicite continentur, explicando. Unde ad hujusmodi cognoscenda, antequam habitum habeat, non solum est in potentia accidentalis (z), sed etiam in potentia essentiali : indiget enim motore, qui reducat eum in actum (6) per doctrinam, ut dicitur in 8. *Physicorum* (t. c. 32); quo non indiget ille qui habitualiter aliquid novit. Doctor igitur excitat ad intelligendum vel sciendum illa quæ docet, sicut motor essentialis (7), et educens de potentia in actum; sed (8) ostendens rem aliquam visui corporali, excitat eum sicut motor per accidens, prout habens habitum scientie potest excitari ad considerandum ab aliquo. » — Haec ille. — Ex quibus appetit quomodo verba vel scripta habent excitare mentem discipuli ad reducendum se de potentia in actum, et ad formandum conceptiones et intentiones intelligibles; et consequenter habent aliquam vim ad hoc, ut prius deductum est, in solutione quarti; quia omne agens agit sibi simile, et aliquo modo continent formam sui effectus.

Sciendum est etiam quod illud quod dicit arguens, scilicet quod per sermonem non intelligimus res, nisi quarum species præhabebamus, et quod per voces nulla nova species potest in nobis causari, — hoc siquidem potest et debet rationabiliter negari : quia, licet per vocem non possit causari species rei totaliter nova, sic quod nec ipsa, nec aliquid ejus præcesserit in intellectu audientis, nec actu, nec habitu, nec virtute, nec in se, nec in suo simili, nec secundum totum, nec secundum partem; tamen per vocem et sermonem doctoris auditor potest formare in seipso speciem aut conceptum perfectiorum et magis specialem et determinatum quam prius haberet, ut quilibet in seipso experiri potest, potissimum.

(z) *accidentali*. — *actuali* Pr.

(6) *actum*. — *actu* Pr.

(7) *sicut motor essentialis*. — *non sicut motor naturalis* Pr.

(8) *sicut*. — *Ad. Pr.*

sime circa objecta insensibilia vel numquam sensata, puta circa substancialia separatas, et animam rationalem, et ejus potentias et habitus, et similia. De hoc sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 11, art. 4, ubi sic, tertio loco, arguit : « Si aliquarum rerum signa alicui proponantur per hominem : aut ille qui proponuntur, cognoscit res illas quarum sunt signa ; aut non. Si quidem res illas cognoscit, de eis non doceatur. Si vero non cognoscit, ignoratis autem rebus, nec eorum signa aut significaciones cognosci possunt : qui enim non cognoscit hanc rem que est lapis, non potest scire quid hoc nomen *lapis* significet. Ignorata vero significatio signorum, non potest per signa aliquid addiscere. Si ergo homo nihil aliud faciat ad doctrinam nisi signa proponere, videtur quod homo ab homine doceri non possit. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum est, inquit, quod illa de quibus per signa edocemur, cognoscimus quidem quantum ad aliquid, et quantum ad aliquid ignoramus : utpote, si doceamur quid est homo, oportet quod de eo praesciamus aliquid, scilicet rationem animalis, vel substancialis, aut saltem ipsius entis, que nobis ignota esse non potest. Et similiter, si doceamur aliquam conclusionem, oportet praescire de subjecto et passione quid sunt ; et principia, per quae docetur conclusio, esse præcognita. *Omnis enim disciplina fit ex præexistenti cognitione*, ut dicitur, 1. *Posteriorum* (cap. 1). » — Haec ille. — Item, et multum ad propositum, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 173, art. 2, sic dicit : « Representantur menti humanæ res aliquæ secundum alias species, et secundum naturæ ordinem. Primo ergo oportet quod species represententur sensui; secundo, imaginationi; tertio, intellectui possibili, qui immutatur a speciebus phantasmatum secundum illustrationem intellectus agentis. In imaginatione autem non solum sunt formæ rerum sensibilium; secundum quod accipiuntur a sensu; sed transmutantur diversimode, vel propter aliquam transmutationem corporalem (sicut accedit in dormientibus et furiosis), vel etiam secundum imperium rationis disponuntur aliqua phantasmata, in ordine ad id quod est intelligendum. Sicut autem ex diversa ordinatione earumdem litterarum accipiuntur diversi intellectus; ita etiam, secundum diversam dispositionem phantasmatum, resultant in intellectu diversæ species intelligibiles. Judicium autem humanæ mentis fit secundum vim intellectualis luminis. Per donum autem prophetiae confertur aliquid humanæ menti supra id quod pertinet ad naturalem facultatem, quantum ad utrumque : scilicet et quantum ad judicium, per influxum intellectualis luminis; et quantum ad acceptiōnem, seu representationem rerum, que fit quantum ad alias species. Et, quantum ad hoc secundum, potest assimilari doctrina humana revelationi propheticæ; non autem quantum ad primum. Homo enim suo

discipulo repræsentat alias res per signa locutionum; non autem potest interius illuminare, sicut facit Deus. » — Haec ille. — Simile dicit, *de Veritate*, q. 12, art. 7, per totum.

Ad secundam vero improbationem *hujus exempli*, dicitur quod major est falsa. Quia, dato quod sit idem agens principale et instrumentale sufficiens, non oportet quod sequatur eadem actio, nisi passum sit æqualiter dispositum. Modo græcus et latinus audientes eundem doctorem latinum, et eadem verba latina, non sunt æqualiter dispositi ad suscipiendum effectum doctoris; cum unus sit in potentia essentiali respectu conceptus significati per verba, et alius in potentia accidentalis. Sicut autem dictum est, sermo non habet vim eductivam de potentia essentiali, sed solum de potentia accidentalis, ipsum audientem ad formandum intelligibiles conceptiones. — Cum autem dicit arguens quod sermo auditibilis, est signum remotum respectu conceptum rerum, etc.; — dicitur quod, hoc concesso, qualitercumque sermo excitet audientem, tamen oportet concedere quod habet in se aliquam vim causativam, mediate vel immediate, alienus conceptus, sive sui, sive rei quam significat, sive utriusque, cum quodam ordine et collatione; aliter unus homo non posset dici doctor alterius. — Similem responsionem dat Petrus de Palude ad consimilem rationem. Arguit enim sic : « Si virtus ponatur in sacramentis : aut ista virtus ageret ex necessitate naturæ; aut ex electione. Non ex necessitate naturæ : quia tunc æqualiter ageret in dormientem et vigilantem, et in fictum et non fictum. Nec etiam ex electione : quia illa virtus non est in potestate liberi arbitrii. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod illa ratio habet multiplicem defectum. Primo, quia virtus agens de necessitate naturæ, non agit indifferenter et æqualiter in subjectum qualitercumque dispositum. Et ideo non oportet quod virtus sacramenti, si ageret de necessitate naturæ, ageret indifferenter et æqualiter in fictum et non fictum, in vigilantem et dormientem; sicut non oportet quod ignis indifferenter agat in cœlum et in aerem. Secundo deficit, quia operatio illius virtutis potest dici operatio agentis ex electione, inquantum illa virtus nihil potest agere, nisi cooperante agente principali, qui agit ex electione. Et ideo illa virtus non agit indifferenter in quodcumque, sed tantum in illud ad quod ordinatur ex electione principalis agentis; sicut securis non agit in quodcumque ( $\alpha$ ), sed in illud circa quod movetur a principali agente, quod est agens per electionem. » — Haec Petrus.

Ad improbationem *secundi exempli*, dicitur primo, quod non oportet formam artis profluente ab intellectu artificis in instrumentum conjunctum

( $\alpha$ ) quodcumque. — quocumque Pr.

el remotum, esse formam spiritualem; quia illa ordinatur ad effectum mere corporalem. Secus est le virtute instrumentalis ordinata ad gratiae susceptionem vel inductionem, quae est effectus summe spiritualis. — Dicitur secundo, quod non majus neconveniens est formam artis causari frequenter in instrumentis artificis, quam idem instrumentum frequenter moveri ab artifice ad inducendum diversas formas in diversas materias. De hoc Albertus, 11. *Metaphysicæ* (tr. 1, cap. 11), sic dicit: « Movens ad sanitatem, est ars medicine; et est movens non coniunctum. Movens autem coniunctum sanitatis, est medicina sumpta. Et movens non coniunctum locum, est ars edificatoria; et movens dominum coniunctum, est ars in manibus et instrumentis architecti secundum actum edificantis. » — Hac ille. — Et similia dicit in pluribus locis, scilicet quod novens coniunctum semper est aliquo modo uniuersum eum suo effectu.

Ad improbationem tertii exempli, dicitur quod motus cœli est formale principium vel instrumentum producendi omnia generabilia et corruptibilia naturaliter. Et de hoc multa dicta sunt in 2. *Sentent.* (2), quæ hic non oportet repetere. Sed hic præcise adduco dictum Alberti, qui, 11. *Metaphysicæ* (tract. 1, cap. 8), sic dicit: « Omnis forma educitur de potentia ad actum, movente aliquo, quod est conveniens in nomine et ratione. Hoc autem quod verum sit, patet, si ponamus quæ et quot circumstant generationem substantiae sensibilis. Sunt autem illa, ut in communi dicatur, quinque. Quorum primum et principale est, quod omne quod generatur, educitur de potentia ad actum; et haec (3) potentia de qua educitur, est intra materiam; et tamen nihil est de substantia materie. Secundum est, quod omne quod educitur de potentia ad actum, extrahitur per aliquid movens, quod, aut genito est univocum, aut reducitur ad univocum. Tertiū est, quod omnis motus inferior, qui est in materia generabilium, reducitur ad motum cœli, qui est causa et mensura hujusmodi motus per formam intelligentiae moventis motum illum, et per formas stellarum et orbes, et per virtutes radiorum. Quartum est; quod nihil sit ex nihilo penitus secundum naturam; sed quæcumque sunt, procedunt ex indeterminatis et confusis inchoationibus suarum essentiarum, quæ sunt inditæ (4) materie. Quintum est, quod non quodlibet sit ex quolibet; sed omne quod sit, procedit ex aliquo sui generis; et hoc genus ambitu suo et extensione ambit id quod sit, et suum contrarium; et ideo contraria sunt unum in radice sui generis. Plato igitur, considerans quod movens primum, non coniunctum materie, est intelligentia,

per formam motus cœli causans motum materie, et formans et regulans totam generationem, dicit omne quod generatur sic, fieri ab univoco, quia forma illa quæ (2) regulat et format generationem, est habens virtutem semen in efficiendo et fornando et reglando. Et hanc dicit esse ideam ab hac materia separatam. Et quoad hoc bene dixit, tangendo primam causam et universalem, et non propriam et proximam. Et ideo dictum est, in 2. *Perigeneseos*, quod sol et circulus declivus sunt causa generationis et corruptionis. Sed in hoc male dixit, quod posuit quod hæc forma in materiam induceretur; quia hoc non est verum, etc. »

Ad sextum principale Scoti, negatur antecedens, et conceditur oppositum, scilicet quod instrumenta artis, non solum formaliter, sed effectivè, sunt activa: puta serra, gladius, martellus, et hujusmodi. Et ad primam probationem antecedentis iam negati, dicitur primo, quod serra non solum habet in se quantitatem, et figuram, et motum localem, dum actu movetur ab artifice; immo, preter hoc, habet in se virtutem movendi localiter aliud corpus, et expellendi illud de loco suo, sicut saepius supra dictum est. Habet ulterius in se formam artis, quam artifex inducit in materiam exteriorem; et hoc per modum entis incompleti et intentionis fluentis, et non per modum entis completi, ut saepè dictum est. — Dicitur secundo, quod, licet figura et quantitas non sint formæ activæ primo et per se respectu naturalium transmutationum, tamen non omnino de per accidens se habent ad illas. De hoc beatus Thomas, in simili, 4 p., q. 78, art. 3, in solutione secundi, sic dicit: « Magnitudo, et figura, et hujusmodi, quæ dicuntur communia sensibilia, media sunt inter sensibilia per accidens et sensibilia propria, quæ sunt objecta sensuum. Nam sensibilia propria primo et per se immutant sensum, cum sint qualitates alterantes; sensibilia vero communia omnia reducuntur ad quantitatem. Et de magnitudine quidem et numero, patet quod sunt species quantitatis. Figura autem est qualitas circa quantitatem, cum ratio figuræ consistat in terminacione magnitudinis. Motus autem et quietes sentiuntur secundum quod subjectum uno modo vel pluribus se habet secundum magnitudinem subjecti vel localis distantie, quantum ad motum augmenti et motum localem, vel etiam secundum sensibiles qualitates, ut in motu alterationis; et sic sentire motum et quietem, est quodammodo sentire unum et multa. Quantitas autem est proprium subjectum qualitatis alterative, ut superficies coloris. Et ideo sensibilia communia non movent sensum primo et per se, sed ratione sensibilis qualitatis, ut superficies ratione coloris. Nec tamen sunt sensibilia per accidens: quia hujusmodi sensibilia aliquam diversitatem

(2) Cfr. presertim 2. *Sentent.*, dist. 14, q. 1.

(3) *hac.* — *de Pr.*

(4) *inditæ.* — *inductæ Pr.*

(2) *qua.* — *qua Pr.*

faciunt in immutatione sensus; alio enim modo immutatur sensus a magna superficie, et a parva; quia etiam ipsa albedo dicitur magna et parva, et omnino dividitur secundum proprium subjectum. » — Haec ille. — Et sicut ipse dicit de immutatione sensus, ita potest dici de aliis naturalibus mutationibus: quia aliter agit calor in parva quantitate, et aliter existens in magna; et aliter movet gravitas corpus acutum quam corpus obtusum, vel rotundum, aut latum. Unde Aristoteles, *4. Cœli et Mundi*, ultimo capitulo (t. e. 42), sic dicit: *Figure autem non sunt causa ejus quod est ferri simpliciter, aut deorsum, aut sursum; sed ejus quod est velocius, aut tardius*, etc. Ubi Albertus sic dicit (*4. de Cœlo et Mundo*, tract. 2, cap. 10): «Quamvis figure non sint cause motus, tamen figura ad facilitatem motus facit, per medium aeris vel aquæ, sicut diximus, *4. Physicorum*, tractatu *de Vacuo*, quia acutum faciliter penetrat quam latum. Inquiramus igitur de hoc de q̄lo antiqui philosophantes inquirebant. Et est una quæstio eorum: quare corpora terrestria lata, vel concava, natant super aquam, sicut ferrum latum, et plumbeum tenue et latum, et vasa concava et clausa; longa autem et stricta, non concava, merguntur in ipsa, etiamsi sint minora quam prius memorata, sicut acus, vel aliud tale corpus, etc. ?» Sequitur: «Dicamus autem nos solventes quæstionem inductam, quod corporum continuorum quedam sunt facilis divisionis, et quedam difficilis: aer enim citius dividitur quam aqua. Et quanto fuerint aliqua corpora subtiliora et rariora, tanto faciliter dividuntur; quanto vero fuerint spissiora, tanto dividuntur difficiliter, et difficiliter penetrantur; quia omne penetrans per alterum, dividit ipsum. Similiter autem dividentium et penetrantium quedam dividunt et penetrant faciliter, et quedam difficiliter: quanto enim aliqua fuerint acutiora et graviora et duriora, tanto dividunt et penetrant faciliter; et quanto fuerint obtusiora et minus gravia et molliora, tanto dividunt et penetrant difficiliter et tardius. Dico autem divisionem facilem per transitionem et penetrationem: quanto enim aliquid faciliter dividit, tanto faciliter penetrat et pertransit. Et potentia dividens active optime congregatur ex tribus dictis, scilicet acuto et gravi et duro; et quantum deficit in his tribus, tantum deficit a bonitate potentiae divisionis. Similiter autem bonitas potentiae divisionis passive congregatur ex humido et raro; et quanto fuerit humidum rarius, tanto faciliter dividitur; et quantum de his duobus deficit, tantum deficit de bonitate potentiae divisionis passive. Revertentes ergo ad solutionem quæstionis, dicimus quod aer faciliter impellitur et dividitur quam aqua, et aqua faciliter quam terra: quia quanto aliquid fuerit subtilius et humidius, tanto faciliter recipit impulsione, divisionem et penetrationem. Si ergo haec ita se habent, tunc dicimus

quod corpora late figure, tenua, non gravia multum, licet sint dura et terrestria, tamen, quia non dividunt bene, propter defectum acuminis et defectum gravitatis, natant super aquam, que non adeo de facili sicut aer dividitur: quia, cum jacent super aquam, tangunt late aquam, et multam aquæ superficiem non ita possunt comprimere sicut paucam; et ideo natant super aquam, et non profundantur velocius sub aqua. Et hujus signum est, quia, cum merguntur, non cadunt sub aqua, sequendo superficiem latam, sed potius inclinantur super latus strictum, et super illud aquam dividunt. Corpora autem longa et stricta, eo quod non tangunt aquæ superficiem nisi parum, non comprimunt sub se multam aquam; et ideo facile dividunt eam, et cito merguntur sub aqua, etc. » — Haec ille. — Et similia dicit beatus Thomas, super eodem textu. — Ex quibus apparet quod figura non omnino de per accidens se habet ad motum localem naturalem et alias naturales transmutationes, potissimum divisionem et penetrationem corporum; et quomodo acuties est pars potentiae active divisivae.

Et tunc, cum arguens objicit contra hoc: quia tunc mathematicus considerans quantitatem et figuram, non abstraheret a motu, etc.; — dicitur quod consequentia non valet. Quia, licet talia de per se faciant ad motum et actionem naturalem, non tamen primo, ut supra dictum est, nisi ex adjunctione qualitatum activarum et passivarum, puta gravitate, duritie, et hujusmodi. Et, sicut dictum est quod de per se faciunt ad motum naturalem ratione adjuncti, sic de per se faciunt ad motum violentum et artificialeum ratione impulsus impressi instrumento vel mobili: sicut patet de acumine sagitte projectæ, et gladii, vel securis, aut serre. Unde in virtute artificis possunt inducere hanc qualitatem, quæ est figura. Cuius rationem tangit sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 6, art. 7, in solutione decimiertii, ubi sic dicit: «Figura est quedam forma, quæ per abscissionem materiæ, et condensationem, vel rarefactionem, vel divisionem, aut aliquem (a) hujusmodi motum, in materia fieri potest. » — Haec ille.

Cum autem dicit arguens, quod durities non est qualitas formaliter activa, etc.; — dicitur quod probatio hujus non valet. Quia, in illo casu quem ponit arguens, Deus supplet vicem duritiei. Quod patet: quia durum dicitur quod non cedit comprimenti, sed tenet figuram suam; in illo autem casu, Deus facit illa duo. Et ideo per hoc non probatur quod durities nullo modo sit activa respectu divisionis et compressionis, potissimum addita gravitati et acutiei, vel impulsui violenter moventis.

Cum ultius dicit quod unum corpus motum non expellat aliud corpus ab eodem ubi effective, sed

(a) aliquem. — aliquid Pr.

tantummodo formaliter, etc.; — patet quod illa tota deductio vana est, sicut ostensum est respondendo ad argumenta Aureoli contra tertiam conclusionem, que in eadem vanitate fundantur. Instrumentum enim, vel aliud corpus motum violenter localiter a movente extrinseco, non solum recipit motum a suo motore violento, immo impulsum et vim motivam expulsivam aliorum corporum de suis sitibus.

Dicitur ulterius, quod ponere sacramentum nihil penitus efficere in anima disponens ad gratiam, nec habere aliquam vim regenerativam aut justificativam, sed solum esse quemdam effectum ordinatum ad gratiae susceptionem, est derogare dignitati sacramentorum novae legis, et ipsi novae legi, et dictis Christi et Apostolorum, et doctorum sanctorum. Et ideo illa positio videtur temeraria, et presumptuosa, et conveniens legi veteri, sicut supra beatus Thomas deduxit.

**III. Ad argumentum Aureoli.** — Ad argumentum quod est Aureoli, dicitur primo, quod virtus dispositiva instrumentaliter ad gratiam in sacramento matrimonii, est subjective in verbis, vel in aliquo signo equipollente verbis, qualecumque sit illud; et hoc, si tale matrimonium sit sacramentum novae legis; quia alias non oportet. Unde, in illo casu quo sacramentum matrimonii efficeretur per verba de futuro cum carnali copula, concurreret aliquod signum equipollens verbis de praesenti. — Dicitur secundo, quod virtus praedicta causat in contrahentibus et suscipientibus sacramentum dispositionem ad gratiam, quæ dicitur ornatus, et obligationem mutuam, quæ est quid respectivum, et potestatem intendi corpore conjugis, et petendi debitum, quæ non est solus respectus rationis, aut, si sit, ille potest consequi aliquem motum vel actionem aliquam aut passionem; et ideo respectu illius potest poni virtus activa. Verumtamen de hoc erit sermo latior, loco suo, Domino concedente.

Ad argumentum principale contra quæstionem, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 62, art. 4, in solutione quarti, sic dicens: « Sicut eadem vis principalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum; ita etiam eadem vis sacramentalis invenitur in verbis et rebus, prout ex verbis et rebus perficitur unum sacramentum. » — Haec ille.

Et hæc de quæstione sufficient.

## QUÆSTIO II.

### UTRUM SACRAMENTA VETERIS LEGIS CAUSENT GRATIAM

**S**ECUNDUM, circa eamdem distinctionem, queritur: Utrum sacramenta veteris legis causent gratiam.

Et arguitur quod sic. Quia dicit Beda, in Homilia circumcisionis: *Item salutiferie curationis auxilium, circumcisione, in lege, contra originalis peccati vulnus, agebat, quod baptismus agere, revelatae gratiae tempore, consuevit.* Sed baptismus nunc confert gratiam. Ergo et circumcisione gratiam conferebat. Et, pari ratione, alia sacramenta legalia: quia, sicut baptismus est janua sacramentorum novae legis, ita circumcisione erat janua sacramentorum veteris legis; propter quod Apostolus dicit, *Galatar. 5 (v. 3): Testificor omni circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.*

In oppositum arguitur. Quia dicitur, *Galatar. 4 (v. 9): Convertimini iterum ad infirma elementa et egena.* Glossa: *Id est, ad legem, que dicitur infirma, quia non perfecte justificat.* Ergo sacramenta veteris legis non conferebant gratiam.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, responsiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod sacramenta veteris legis non conferebant gratiam ex aliqua virtute eis inherente, sicut faciunt sacramenta novae legis.

Hanc ponit beatus Thomas, 3 p., q. 62, art. 6, ubi sic dicit: « Non potest dici quod sacramenta veteris legis conferant gratiam justificantem per seipsa, id est, propria virtute; quia sic non fuisset necessaria passio Christi, secundum illud *Galatar. 2 (v. 21): Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est.* Sed nec potest dici quod ex passione Christi virtutem haberent conferendi gratiam justificantem. Sicut enim patet ex predictis (ibid. art. 5), virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem et sacramenta; differenter tamen: nam continuatio quæ est per fidem, sit per actum animæ interiorem; continuatio autem quæ est per sacramenta, sit per usum exteriorum rerum. Nihil autem prohibet id